



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XLIII. In Tit. XLIII. Et Ultimum, De Arbitris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

QUÆSTIO XLIII.

IN TIT. XLIII. ET ULTIMUM, DE ARBITRIS.

2742. **U**T lites, & controversiæ minori sumptu, & strepitu, privatim componantur, adhiberi solent Arbitri, sive antelitis ingressum, sive etiam postea. Et ideo Haunoldus *tom. 5. de Jure tr. 1. c. 3.* agens de Arbitris, quæstionem proponit sub titulo *de arbitraria jurisdictione*, seu potestate Arbitrorum; quibus positis:

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Arbiter?

2743. **R**esp. *Arbitrum*, propriè dictum, esse, qui *constituitur*, ut circa controversiam aliquam, suum arbitrium, seu iudicium proferat, cui partes stare debent. Ex his alii sunt *Arbitri juris*, sive *necessarii*; qui ex præscripto legis constitui debent; alii autem, constituuntur partium consensu, vocanturque Arbitri *voluntarij*, seu *compromissarij*, scilicet sponte, & nullo jure jubente, ex libero partium consensu, & compromissio constituti.

Arbitri *voluntarij* alij sunt, in quos compromissum est, ut procedant, & pronuntient *servato juris ordine*; alij, ut *omisso juris ordine* solum procedant, & pronuntient, prout ipsis æquum, & bonum videbitur, & hi vocantur *arbitratores*, ac eorum pronuntiatio *arbitramentum*. Potest autem hoc dupliciter fieri, *cum pacto* obligatorio ad acquiescendum electi pronuntiato; vel, *sine tali pacto*; & hoc secundo modo constitutus sponte à partibus, *Arbitrator* dicitur; aliter autem *Arbiter compromissarius*. Sic Haunold. *tom. 5. tr. 1. à n. 150.* ubi ait, sententiam Arbitri voluntarij, electi cum tali pacto vocari *laudum*. Hi tamen *Arbitratores* differunt ab illis, qui *Mediatores*, vel *amicabiles compositores* dicuntur. Nam isti non obligantur ex pacto, ad dandum pronuntiatum; sed possunt ad libitum recedere; secus illi; sic Haunold. *n. 153.*

2744. Præterea not. inter Arbitros *necessarios*, & *voluntarios* plures differentias esse 1.

quia Arbitri juris sunt *veri Judices*, & habent jurisdictionem à lege ipsis datam; non autem *voluntarij*; gloss. *in c. suspicionis 39. v. ad quos omnia, de offic. delegat. c. ab Arbitris 11. eod. in 6.* Deinde, quia Arbitri juris compelli possunt ad hoc in unum suscipiendum; *c. cum speciali, de appellat.* Arbitri autem *compromissarij* liberè suscipiunt, aut respuunt compromissum; quamvis, ubi vel interveniente stipulatione secundum jus civile; vel pacto etiam nudo juxta Jus Canonicum, & in foro conscientiæ, compromissum acceptarunt, arbitrium dicere coguntur per *L. 3. §. 1. ff. de Receptis arbitris.*

Tertio, *Arbitri juris* habent veram jurisdictionem, ex lege ipsis competentem; consequenter agere possunt omnia, ut *veri Judices*, quæ ad causæ definitionem necessaria sunt; sic gloss. *in cit. c. suspicionis. v. ad quos omnia*; & ideo etiam ipsorum arbitrium, seu pronuntiatio habet rationem *veræ sententiæ*, ut rectè notat Peyerre *in Elucidat. n. 1258. in fine. Vera enim sententia* solum proferri potest ab habente veram, & legitimam jurisdictionem; quæ catent arbitri compromissarij; Layman *in Rubric. Tit. de Arbitris num. 4.* Ex hoc sequitur, quod tota potestas Arbitri *compromissarij* (cum in eum non descendat à lege) à solis partibus, in ipsum compromittentibus, derivetur; consequenter de nulla re statuere possit, nisi de qua compromissum, & quatenus compromissum est, *L. non distinguemus 32. §. de offic. ff. de Recept. Arbitris.*

Quarto, ab *Arbitro juris* appellari potest ad eum, qui eum dedit, vel à partibus eligi jussit, *c. ab Arbitris, de offic. deleg. junct. gl. fin.* non autem à *voluntarijs*; *L. 1. C. h. t. L. 32. ff. eod. v. Haunold. cit. n. 129.* potest tamen Judicis officium implorari, ac postulari, etiam post arbitrium voluntarium; præsertim, si *laudum* Arbitri voluntarij claram injustitiam contineat, ut notat Pirhing *hic n. 5.*

Not. 2. etiam Arbitrum *compromissarium*

rium in multis differre à *Judice*. Nam *Judex* etiam *invitus*, dari potest; ille autem *Arbiter* tantum volens; *L. 3. §. 1. ff. h. t.* Secundò, reconventio non habet locum coram illo *Arbitro*; secus, coram *Judice ordinario*; *c. 6. h. t.* Tertio à *sententia* *Judicis* seu *Arbitro juris*, potest appellari; non autem, ab *Arbitro compromissario*, *L. 1. C. h. t.* quarto, coram *Arbitro* non inducitur *litis pendentia*, sicut coram *Judice*; *Gail. l. 1. observ. 14. n. 3.* quinto iste *Arbiter* non potest mutare *sententiam* *invalidam*, quam tulit, *L. 19. cum seq. ff. h. t.* at *Judex ordinarius* potest, *L. si Praeses C. quomodo, & quando Judex.* Sextò, *Arbiter* *laudum suum* exequi non potest; *L. penult. C. h. t.*

2748.

Septimò, *Procurator*, *litigans* coram *Arbitro*, non *satisdat* de *rato*; *L. 32. ff. h. t.* Octavò, *Arbiter* non potest punire *contumaces*, nec *testes cogere*; *L. 2. §. fin. ff. de Judic.* Nonò, *laudum Arbitri* *condemnatum* non *infamat*; *L. 13. ff. de his qui not. infam. secus*, *sententia* *Judicis* *lata* super *famoso crimine*, *L. 1. L. 4. §. fin. ff. eod.* Decimò, non potest *arbitrium* *delegare*, *L. 32. ff. h. t.* Undecimò, in *arbitrio* non potest *mora* *pungari*, in quo dies *præfixus* est ab *homine*, *L. 23. ff. h. t.* Duodecimò, in *arbitrium* illud *solum* venit, de quo *actum* est, ut *veniret*, *L. 21. ff. h. t.* Decimotertiò, *partes* non *tenentur* *præcisè* stare *Arbitri* *sententiæ*, sed *possunt* ab ea *recedere*, licet *facti* sint de non *recedendo*; *L. penult. C. h. t.* at *sententiæ* *Judicis* *standum* est, si *factum* sit de non *appell.* *L. ult. C. de temp. appell.* Decimoquartò, ex *laudo* *Arbitri*, neque *actio*, nec *exceptio* *rei judicatæ* *datur*, sed *pœnæ* *petitio*, *L. 2. C. h. t.* nisi *tacitè*, vel *expressè* sit *approbatum*, *L. penult. C. eod.*

2749.

Ex dictis colliges 1. *Arbitrium*, *justum* *procedere*, secundum *leges*, & *jura*, posse *procedere* secundum *consuetudines* *legitimè* *inductas*. Nam *tales* *habentur* *instar legum*; & *verbum legis*, generaliter *acceptum*, *generaliter* *intelligi* debet, sic, ut *omnes* *species* *comprehendat*, quando *nulla* *necessitas*, vel *ratio* ad illud *restringendum* *cogit*.

Colliges 2. *Arbitri* *sententiam* *præsumi* *justam*. Nam *præsumptio* est *pro* *Judicis* *sententia*, quòd *consecatur* *legitimè* *lata*, prout *habetur* in *c. Bona 23. de elect. c. si-*

cut 16. de Testib. Nam *res judicata*, *pro* *veritate* *accipitur*, ut *dicitur* *Reg. 207. ff. de Reg. juris*; idque tum *propter* *authoritatem* *Judicis*, qui *officio* *publico* *fungitur*; tum *propter* *consensum* *partium* in *litis* *contestatione*, id, quod *meritò* etiam ad *Arbitrum* *extendit* *Layman*, *c. in presentia, de renunt. n. 2.* *intellige* *tamen*, *donec* *contrarium* *appareat*.

Excipe tamen 1. nisi *dubitetur* de *potestate*, ac *jurisdictione* *Judicis*, prout *contingere* potest, si *habeat* *Superiorem*, aut *solum* *delegationem*, ut *colligitur* *ex* *c. cum in jure 31. de offic. Jud. deleg.* ubi, ut *ipsi* *credatur*, *exhibere* *debet* *suam* *delegationem*; excipe 2. nisi à *sententia* *fuerit* *appellatum*; nam *appellatio* *recepta* *tollit* *præsumptionem*, quæ *militabat* *pro* *justitia* *sententiæ* *latæ*; cum de *illa* *cognoscendum* sit à *Judice* *appellationis*; Sic *Innocent. in c. in presentia, 6. de renunt. num. 1.*

2750.

ARTICULUS II.

Qui possunt compromittere?

Seu, quod idem est, *qui possunt Arbitros* *constituere*? *Resp.* quòd *possit* *quilibet*, *habens* *liberam* *rerum* *suarum* *administrationem*; adeoque, qui *possunt* *contrahere* *cum* *facultate* *alienandi*. *Compromissum* enim est *species* *conventionis*, quæ *tendit* ad *alienationem*.

2751.

Quidam autem *prohibentur* *compromittere* *in propria*; quidam *in aliena causa*. In *propria*; *servus* per *L. 32. §. si servus, ff. de Recept. qui arbitr. Papillus* sine *Tutoris* *authoritate*, *L. 35. ff. eod. Minor* sine *Curatoris* *consensu*, per *L. 34. §. 1. ff. de Minoribus*; *Furius*, & *prodigus*, per *L. 27. §. coram, ff. de Recept. qui arbitr.*

In *aliena* 1. *Procurator*, nisi sit *Procurator* in *rem* *suam* vel *habeat* *mandatum* *generale* *cum libera*; seu *speciale*, per *c. per tuas, 9. h. t. junct. gloss. ibid. in casu*, ubi, cum *Plebantis* *de Piscia*, *cujus* *Procurator*, *consentiente* *parte* *adversa*, *compromiserat* in *Arbitros*; *prolato* ab *illis* *arbitrio* *stare* *nollet* (quòd *Procurator* à *se* *constitutus* *habuerit* *mandatum* *solum* *generale*; consequenter *invalidè* *compromiserit*) *consultus* *Pontifex* *rescri-*

pit ad Archiepiscopum Genuensem, tanquam suum in hoc delegatum:

Si ex parte Plebani arbitrium approbatum, seu exomologatum fuit, ratum esse oportere, & executioni mandandum: si autem approbatum non fuit, tunc distinguendum; utrum pœna compromisso apposita fuerit, nec ne? si apposita, ad eam agi posse; si nulla apposita pœna, tunc Procuratorem conveniri debere ad præstandum interesse; quia juramento suo *se ipsum, non Ecclesiam*, obligare poterat. Ex hoc enim casu apparet, si Procurator absque mandato (intellige speciali, vel generali cum clausula: *cum libera*) compromisit, contra ipsum executionem fieri posse; non contra Ecclesiam, à qua constitutus est cum sola clausula *generali*. Sic Layman in *cit. c. Per tuas*, 9. h. t. n. 10.

Prohibentur præterea compromittere in causa aliena *mulier*, per *dict. L. 32. §. 2. ff. de Recept. qui arbitr. Tutor*, aut *Curator* sine Judicis decreto, aut prætermisissis solennitatibus; *Prelatus*, aut *Beneficiarius* in præjudicium Ecclesiæ; cum sint meri administratores; *Vasallus* super re feudali absque consensu Domini. Nam in hac materia solus Dominus est Judex, per *c. 6. & 7. de foro compet. & rem feudalem in vivo Domino alienare*, Vasallo prohibetur per Fridericum Imperatorem, cap. *Imperialem, de prohibita fendi alienatione*.

ARTICULUS III.

In quos compromitti possit?

2752. **R**esp. compromitti posse in quemlibet, quem nec ætas, nec status impedit. Hinc subditus compromittere potest in suum Judicem ordinarium, tanquam in Arbitrum; Barb. in *c. 3. h. t. n. 3. Laicus* tamen (quamvis Arbitrator, seu amicabilis compositor esse possit in rebus Ecclesiæ, vel spiritualibus causis, vel super fructibus decimarum) Arbitrator in spiritualibus esse non potest, per *c. contingit, h. t. ubi expressè dicitur: in causa Ecclesiastica compromitti non posse in Laicum; quod non deceat, ut Laici de causis Ecclesiasticis cognoscant, aut arbitrentur*, nisi Pontifex ex plenitudine potestatis id concedat, aut

ejus delegatus, sed solum tunc, si simul Clerici sint, in quos, de delegati venia, compromissio fiat, ut colligitur ex *c. per tuas*, 9. *ead.*

Cæterum *ratione status* non compromittitur in servum, dum talis est, *L. 9. ff. de Procur.* Nec in mulierem, quia arbitrari est munus civile, *L. fin. C. de Procur.* Excipe nisi habet jurisdictionem, *c. 4. h. tit.* Nam, cum inter Abbatem, & Conventum Ordinis Cisterciensis, atque Hospitalarios controversia esset de usu cujusdam nemoris, compromissum fuit à partibus *in Regnam Galliarum*; ea, intellectis causæ meritis, arbitrium, seu laudum, adhibito Episcoporum quorundam consilio, pronuntiavit. Sed Hospitalarij putarunt, sibi observandum non esse; eò quod *fœmina arbitrium dicere non possit*. Ad hoc respondit Innocentius III. licet fœminæ, secundum jura à publicis muneribus remota sint; & in *L. ult. C. de arbitris* specialiter caveatur, ut mulieres, quantumcunque præcellentes, aut sapientes sint, *arbitrium dicere non possint*, & ad eò quidem, ut neque liberti, si in patronam sub pœnæ stipulatione promiserint, arbitrium servare, aut pœnam solvere teneantur; quia tamen *juxta approbatam consuetudinem*, quæ in partibus Gallicanis pro lege observatur, fœminæ præcellentes in suos subditos jurisdictionem exercent, ideo Hospitalarios cogendos esse, ut dictum arbitrium, præsertim cum Episcoporum consilio, providè latum, observent, sub pœna in compromisso per mutuum consensum constituta.

Ratione ætatis non compromittitur in minorem annis 18. *L. quidam, 57. ff. de re Judic.* excipe, nisi ex arbitrio Principis, arg. *c. cum vigesimum de offic. Jud. deleg.* quamvis ex Lege Julia non liceat compromittere in minorem 20. annis, *L. cum Lege, 41. ff. h. t.*

Præter hæc not. 1. compromissionem fieri posse non tantum in unum, sed etiam in plures, convenientius numero impares, ne contingat arbitrium impediri per paritatem *c. 1. h. t. & L. 17. §. Principaliter, ff. eod.* Not. 2. non debere Arbitris inter se discordibus dari licentiam eligendi tertium, non expressè certâ personâ tertij, *c. 12. h. t. L. non distinguemus, 32. §. quæsitum, ff. eod.* etiam si essent concordēs

cordes in electione tertij, Zoësius hic nu. 6.

Rem declarat casus in *dict. c. 12.* decisus. Nam, cum inter Guilielmum, & Ootonem, Laicos, controversia esset super quadam pecuniæ summa, Papa eam quibusdam Judicibus commisit; qui cum in causa procederent, denique partes in duos Arbitros compromiserunt, eâ formâ, ut, si ipsi discordarent, Judices delegati *tertium ipsis Arbitrium adjungerent*, retenta penes se potestate, partes ad Arbitrij observationem compellendi.

Et ita quidem factum, ut cum duo illi convenire non possent, tertius ipsis adjunctus fuerit, qui, cum eorum altero consentiens, contra unum compromittentium sententiam tulit. Et cum Judices illi delegati eum ad observationem compellere vellent, is se gravari sentiens, ad Sedem Apostolicam appellavit; sed Judices appellacione non obstante, excommunicationis sententiam in eundem tulerunt; his intellectis respondit Gregorius IX. si ita res se habeat, excommunicationis istam sententiam *declarandam esse irritam*, eò quod Cæsareis legibus decretum sit, ut compromissum *de assumenda persona incerta*, nullius roboris sit.

2754. A dictis tamen excipe, nisi determinatè nominata sit persona tertia in casum dissensus; quia tunc cessat vitium *incertitudinis*; *gl. in cit. L. 17. §. si in duos*; vel tertia persona nominetur à Judice; ne causa maneat indecisa, *cit. L. 17. §. Principaliter*; & secundùm hoc intelligitur *c. 61. de appell. & c. 39. de offic. Jud. deleg.* prout habetur in *c. penult. h. t.*

2745. Not. 3. Arbitrum, post rem judicatam, super discordijs novis assumptum, non posse per suum arbitrium sententiam immutare, licet de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa, nisi in rescripto mentio fiat *rei judicata*, *c. 11. h. t. & Barb. ibid. n. 1. & 2.* Et sic statuit Honorius III. ut liquet ex seq. casu. Nam, cum inter Episcopos Feltrenensem, & Beluenensem ex una parte, & cives Tervinos ex altera parte, controversia esset super districtu, & quibusdam aliis rebus; ea per Episcopum Hostiensem, Apostolicæ Sedis Legatum, terminata fuit. Sed postea aliis exinde ortis discordijs, partes compromiserunt in *Ducem Venetorum*,

obsidibus ab utraque parte datis. Sed & Papa Honorius III. eidem Duci per literas mandavit, ut partes componere curaret: at, cum Dux à Legato *antea latam sententiam immutare ausus esset*, rescriptis Honorius, intentionis suæ non fuisse, ei committere, ut controversias, *lata per Legatum sententiâ* sopitas revocaret; quare mandat quibusdam à se delegatis, ut non obstantibus prioribus literis suis, quæcunque per Ducis arbitrium *adversus Legatam sententiâ* decreta esse invenerint, *in irritum revocent*, ac directè prohibeant Duci, ne ulterius in compromisso procedat; eundemque ad restitutionem obsidum, quos ad compromissi observationem stabilendam acceperat, per censuram Ecclesiasticam compellant.

ARTICULUS IV.

Super quibus rebus compromitti possit?

Resp. compromissionem fieri posse super quavis causa; nisi in alicujus præjudicium cedat. Hinc Ecclesia *exempta*, sine licentia Papæ, cujus vertitur præjudicium, non compromittit *super exemptione*, *c. 5. h. t.* Ortis enim controversiis inter Abbatem de Pigravia ex una parte, & Episcopum Merspergensensem, & dicti Abbatis Monachos quosdam ex altera parte, super iis, fide invicem data, à partibus compromissum fuit in Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam Arbitrum: præcipit Innocent. III. ut arbitrium, seu laudum Archiepiscopi observetur, *ijs exceptis capitulis, qua contra libertatem, & exemptionem Monasterij, ac Capellarum ejus in arbitrio expressa fuerunt.* Nam tamen Abbas *ultro vellet*; tamen nequaquam posset *absque Romani Pontificis licentia renuntiare privilegijs*, ac indulgentiis; quibus indicatur, Monasterium illud ad jus, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertinere.

Præter hæc not. 1. compromitti non posse super causa *criminali*, vel *matrimoniali*, *c. penult. 9. §. in matrimoniali, de integr. restit.* nec super causa libertatis, & reliquis, de quibus jam supr. Not. 2. si Judices delegati non possint convenire *in dubio suæ jurisdictionis*, Arbitros super ea *materia eligendos esse*, ut dicitur in *c. pastoris*.

floralis, 14. *de rescript.* ibi: quòd si inter se non consentiant, hoc casu (tametsi plures sint Judices ex una parte delegati, quàm ex altera parte) communi partium litigantium consensu Arbitri eligendi sunt, qui controversiam hanc definiant, videlicet, an ad priores, an ad posteriores Judices cognitio pertineat?

Not. 3. si Judex recusetur, eligendos esse Arbitros ad causam recusatationis cognoscendam, nisi ea in jure expressa, aut aliàs notoria sit; aut recusatatio manifestè injusta, & frivola; ita statutum est in c. *suspicionis*, 39. *de offic. Jud. delegat.*

Quidam enim Judex, ut dicitur loco cit. à Reo, ut suspectus recusatus erat. Ad causam hanc suspicionis cognoscendam Arbitri à partibus electi sunt: sed dubitabatur, utrum Judex recusatus Arbitris terminum præfinire possit, intra quem cognoscere debeant? Respondit Greg. IX. quòd non possit; cum ipse in hac causa suspectus sit, ne forte noceat; sed ipsimet Arbitri partibus terminum ad probationes suas afferendas statuere, sicut & alia omnia agere debeant, quæ ad hunc suspicionis articulum spectant. Verùm Judex delegatus (cui unà cum jurisdictione, reliqua etiam, sine quibus ea exerceri nequit, commissa censentur) Arbitros compellere potest, ut vel concordent in eadem sententia, vel tertium Arbitrum advocent, cum quo unus, vel ambo consentiant, ne alioquin causæ principalis definitio plus justo differatur.

2758.

Not. 4. etsi, cum recusatur unus Judex ex duobus delegatis à Papa cum clausula: quòd si ambo non possunt, unus in causa procedat, Judex non recusatus debeat cognoscere de justitia causæ recusatationis; si tamen careat eà clausulâ, recurrendum esse ad Arbitros, ut hi cognoscant super ea. Sic Bonifacius VIII. in c. *si contra*, 4. *de offic. Jud. delegati in 6.* Not. 5. si unus ex duobus delegatis totam causam alteri collegæ suo subdelegavit, & hic (subdeleganti propositis ante partium citationem probationibus) tanquam suspectus ab illis recusetur, subdelegantem de causa recusatationis posse cognoscere, juxta c. *super questionum*, 27. *¶ Porro, de offic. Jud. deleg.* ubi tamen nota, nos non dicere in dato casu posse ad subdelegantem appellari; sed tantum causam recusatationis

cognosci. Nam appellatio fieri deberet tunc ad Papam; ad subdelegantem autem solum, si non totam causam subdelegavit, ut dicitur in cit. *¶ Porro.*

Not. 6. Si inter Episcopum, & Clerum controversia sit in causa civili, Arbitros ex partium consensu pro ejus cognitione constituendos esse, per 11. q. 1. c. *si Clericus*, 46. ibi: si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud Arbitros ex utraque parte electos, audiatur negotium; sic Concilium Chalcedonense c. 9. Not. 7. quòd, etsi Arbitr non possit restituere in integrum; si tamen in causam ipsi commissam incidat quæstio restitutionis in integrum, posse illam ratione compromissi decidere determinando, an, necne à Judice petenda sit? sic Layman in c. *causa*, 19. *de in integr. restit. n. 8.* & constat ex ipso c. *causa*, ubi dicitur, restitutionem in integrum peti debere à Judicibus ordinarijs, administrationem habentibus, vel ab eorum delegatis; siue causa restitutionis ipsis specialiter delegata sit; siue ea in commissam controversiam incidenter veniat: at verò delegatòs à Judicibus ordinarijs, qui non administrationem, sed simplicem jurisdictionem habent, sicuti & Arbitros, de causa restitutionis cognoscere non posse, nisi incidenter.

2759.

Not. 8. quamvis Arbitri eligi non possint, qui arbitrentur super exemptione Ecclesiæ, vel Monasterij, ut diximus supra; posse tamen definiri per eos controversiam de capella, seu Parochia, utrum pleno jure incorporata, seu subjecta sit tali Monasterio? ut colligitur ex c. *cum olim*, *de Præscript. & Abbat. ibid. n. 8.* Not. 9. coram Arbitris non esse locum reconventioni, nisi sint Arbitri juris. Nam, ut refertur in c. *dilectus*, 6. *h. t.* cum Reus in judicio conventus Actorem coram eodem Judice reconvenire possit, c. 1. & 2. *de mutuis petition.* videbatur, quòd idem etiam in arbitrio locum habeat: sed Innocent. III. neganter respondit; propterea, quòd Arbitri de iis tantum judicare possint, super quibus in ipsos compromissum fuit.

Not. 10. discordiam in causa electionis per Arbitros terminari posse, in ordine ad compromittentes, non autem confirmatorem, cui præjudicari non potest. Ratio sumitur ex decisione Honorij III. in

c. ex

c. ex parte, 10. h. t. Cùm enim Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti in discordia eligerent, alij quidem Henricum de Juliaco; alij verò, Conradum de Lambardia; duo isti curarunt compromissum fieri in Archiepiscopum Colonensem: is causæ meritis, diligenter auditis, ac perspectis, diem partibus designavit ad sententiam definitivam ferendam. Interea autem moritur Henricus; quo audito Archiepiscopus prohibuit Canonicis, ne pendente suâ sententiâ, ad aliam electionem procederent; sed aliqui non obtemperantes, *Beatum*, Canonicum Colonensem elegerunt.

Igitur, cùm die constituto in *præsentia partium compromittentium* sententiâ ferri deberet, *Beatus* ille electus venit, & allegavit ulterius procedendum non esse; cùm *per Henrici mortem* compromissum finitum fuerit. Super hac re consultus Honorius III. respondit; tametsi compromissum *morte Henrici finitum fuerit*, tamẽ de prioris electionis meritis cognosci prius oportuisse, quàm procederetur ad secundam: quandoquidem, si Conrado superstiti jus competat ex electione, satis constat, posteriorem penitus non valere.

2760. Ex hoc c. colliges præterea, Arbitrum, suam sententiam in præsentia compromittentium pronuntiare debere, & quidem intra tempus ipsi à partibus constitutum; aliàs expirat compromissum, nisi temporis prorogatio Arbitro concessa sit. Colliges 2. duobus in discordia electis; morte alterius, vel renuntiatione, aut causâ eidem abjudicatâ, procedi ad electionem novam non posse, nisi finita lite super jure coelecti superstitis. Colliges 3. si in Ordinarium super causa electionis compromissum est, morte unius compromittentium finiti compromissum, non autem jurisdictionem ejus ordinariam; constat ex c. 10. *supr.*

ARTICULUS V.

De sententiâ, seu pronuntiatio Arbitri.

2761. Solam Arbitrorum juris pronuntiationem, seu arbitrium, esse propriè *sententiam*, constat ex dictis; reliquorum autem, arbitramentum, vel *laudum*, ut diximus *nu.* 2743. olim ex arbitrio non erat actio, nisi intervenisset stipulatio de

Tom. I.

stando arbitrio sub pœna, quæ petebatur; vel si simpliciter conventum est sententiæ stare, erat actio incerti; L. 27. ff. h. postea verò ex sententia Arbitri *homologata* (id est, *expressè vel tacitè per silentium 10. dierum comprobata*) data est actio, & exceptio, L. *pen. C. h. t.* Et hoc procedit etiam de jure Canonico, si arbitrium, peccatum, quod à partibus remitti nequeat, non continet, modò servati sint fines, & forma compromissi, c. *non sine, 2. h. tit.* ubi hoc confirmatur sequenti casu.

Robertus Archidiaconus in Ecclesia S. Alphridi Sacellanum instituit *Alanum*: mortuo Roberto nepos ejus (ex fratre) Marcus, qui Roberto successerat, Alanum denuò instituit, seu potius confirmavit: sed postea multis eum exactionibus indubitè gravavit; ac denique Capellaniâ cedere voluit, promissis ei quinque marchis argenti pro annua pensione; sed cùm *Alanus* morem gerere nollet, eum Capellaniâ spoliavit.

Cùm verò *Alanus* exul justitiam obtinere non possët, nec suam ulterius inopiam sustinere, Marcus per fraudem extorsit à dicto *Alano*, ut juratus consentiret in duorum Clericorum super hac re arbitrium. Hi *Marco* faventes jusserunt, ut acceptis quinque argenti marchis, lite, ac jure suo cederet. His intellectis mandavit Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, si cognoverit, dictos Clericos, *tamen nequiter arbitratos esse*, Presbyterum *Alanum*, ab observatione juramenti, Apostolica autoritate, absolvat: sin autem arbitrium, seu laudum illorum æquum esse intellexerit, utramque partem ad ejus observationem, postposita appellatione compellat.

Not. præterea, sententiam, ab alijs prolatam post mortem unius ex Arbitris assumptis, non tenere per c. 10. h. t. intellige, si constituti sint, ut arbitrentur *simul*; nec etiam si prius moriatur unus compromittentium. Compromissio enim non extenditur ad hæredem, nisi aliud sit cautum. Nam compromissum est transactio; Barb. *in c. 11. h. t. n. 6.* nec transit ad successores, vel hæredes compromittentium; & morte etiam unius compromittentium finitur. c. *fin. h. t.* nisi expressa fiat mentio de illorum successoribus, vel hæredibus.

N n n n

Not. 2.

2763. Not. 2. quòd, si contingat, *Arbitros dissentire*, ea sententia prævalebit, quam plures dixerunt; & si omnes discordent, minor prævalebit, quòd in eam consenserint omnes *c. 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si factò compromisso inter te, & Titium in Arbitros tres, duo eorum te condemnent in decem; tertius in quinque; fter arbitrium quoad decem: sin autem unus ex tribus in quindecim te condemnet, alter in decem, tertius in quinque, efficac sit sententia in quinque, cum in ea summa omnes concordet sint.

2764. Not. 3. quòd unus ex tribus contumaciâ, sententiam ab aliis dictam, non faciat inutilem, *c. fin. h. t. in 6.* nisi cautum sit, ut omnes adsint, & per omnes sententia proferatur, gloss. *in cit. c. fin. h. t. in 6.* ad fin. ibi: *statuimus, ut, si ex tribus Arbitris, à partibus electis, eorum aliquis ab alijs legitime requisitus ad examinandum, vel definiendum unâ cum eis negotium, super quo in ipsos extitit compromissum, non curaverit (cessante impedimento legitimo) convenire: duo præsentet, penes quos (licet lex civilis aliud innuere videatur) totalem eo casu remanere decernimus potestatem, possint (malitiosa, seu voluntaria illius absentia non obstante) dictum examinare negotium, & liberè definire, sicut possent illo præsentet, nec volente cum eis in unam sententiam concordare: ut sic ipsius absentia, præsentet repleta Divina, eum reputari faciat pro præsentet. Circa Judices verò antiqua jura nolimus immutari; sic Bonifacius VIII. *in cit. c. fin. h. t. in 6.**

2765. Not. 4. ex laudo arbitri neque actionem, neque exceptionem rei judicatae dari, sed pœnæ petitionem, *L. 2. C. h. t.* nisi tacitè, vel expressè sit approbatum, *L. pen. C. eod.* ut diximus *n. 2761.* Not. 5. arbitrium Judicis non esse *merum*, hoc est, Judicem non posse pro libitu suæ voluntatis credere, vel non credere; ut, si contra instrumentum, à Notario confectum, stent duo testes idonei, & contra istos stat notabilis dignitas Notarij. Unde, cum tali casu res relinquatur *arbitrio Judicis* (ut notat Sichardus in *C. Tit. 21. de fide Instrument. L. 15. n. 8.*) & universim, cum dicitur in jure, *aliquid permitti arbitrio Judicis*, non est sensus, quòd illud *arbitrium* possit esse *vagum*; sed quòd debeat regulari juxta leges; ita Sichardus.

Not. 6. Judice recusato veniri ad Arbitros, qui debent eligi intra triduum à die recusationis. Utile tamen esse, ut in libello recusatorio nominentur Arbitri. Nam si nondum fuerint electi arbitri, & Judex recusatus procedat in causa, ille processus non esset nullus ipso jure: remediò tamen appellationis cassaretur; ita Sichardus *in Tit. 8. C. de Judic. L. 14. n. 16.*

Not. 7. Arbitrum, post rem judicam, super discordijs novis assumptum, non posse per suum arbitrium sententiam immutare, licet de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa, nisi in rescripto mentio fiat *rei judicatae*, *c. 11. h. t.* & Barb. *ibid. n. 1. & 2.* Qualiter autem sententiæ Arbitri standum sit à partibus? an, & quando ab ea valeant appellare? colligi poterit ex dictis supr. qualiter autem ab ea detur reductio? dicemus *artic. seq.* An, & qualiter sententia per Arbitrum lata, ab eodem corrigi possit? constat *ex præcedentibus.*

ARTICULUS VI.

An ab arbitrio Arbitri compromissarij peti possit reductio ad arbitrium boni viri?

2766. Notandum, *reductionem* esse quandam speciem appellationis, habentem cum ea similitudinem aliquam; quia executionem suspendit, licet proprie non sit appellatio, ut ex probabiliori sententia docet Maranta *de Ord. Jud. p. 6. de appell. n. 110.* Ad quæstionem propositam Resp. negativè de sententia Arbitri *compromissarij*; secus, de sententia *Arbitratoris*; quia compromittens in Arbitrum videtur *transigere, ut constat ex dict.* jura autem non permittunt, ut lis per transactionem semel decisa, instauretur; sic Zoësius *h. t.* quod tamen limitandum est, nisi talis Arbitri sententia contineret enormissimam læsionem, vel manifestam, ac evidentem injustitiam; constat hoc ex *c. Quintavallis. 23. de jurejurand.* Nam cum filix Quintavallis alijs mulieribus contumeliam irrogassent, ipse juravit, quòd pro satisfactione offensarum, earum mandato parere vellet, tum ipsæ sub debiti juramento hoc illi injunxerunt mandatum: *ut si ejus filia, aut uxor*, verbum contumeliosum in ipfas

ipfas dixerint, *filias quidem exheredare deberet, uxorem verò à se removere*) super hoc consultus Innoc. III. respondit) juramentum Quintavallis licitum fuisse, *sed mandatum mulierum illicitum*, ac proinde ipsis injungendum esse; ut revocent mandatum; alioquin denuntiandum, quòd Quintavallis ad mandati ejus observationem non teneatur. Secunda verò pars de sententia Arbitratoris constat ex *L. Societatem 76. §. Arbitrorum. ff. pro Socio*. Ex dicto *c. Quintavallis* colliges, compromitti posse pro satisfactione injuriæ in partem læsam, quòd standum sit ejus arbitrio, modò non mandet illicita; nam arbitrium, aut mandatum, præstandi illicita, seu quæ honestè observari non possunt, est ipsò jure nullum, nec ullam obligationem parit. Ratio sumitur ex *c. Veniens 16. de jurejur.* ubi talis casus propositus, & ab Innoc. III. sic resolutus est: A. verbis contenderat, cum M. pluribus vicissim illatis convitijs, & cum exinde gravis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggererunt A. ut pro satisfactione, Venetorum Civium quorundam mandato se obediendum juraret, quòd ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commississe, ob quod grave quidpiam imponendum sibi esset: sed Cives illi præceperunt A, ut Ducis Veneti Curiam nunquam intraret, nisi cum omnes per generale edictum ad Curiam vocarentur. Verùm A, qui Ducis Consiliarius erat, & multarum Ecclesiarum Advocatus, quibus ipse in judicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si ejusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset.

Hac re cognitâ Innoc. III. mandavit Patriarchæ Grandensi, si posterius istud juramentum priori licitè edito cognòrit esse contrarium, ut Apostolica auctoritate declaret, *non servandum esse*.

2768. Præter hæc not. 1. à *Judice reductionis*, qui ut Vir bonus arbitratus est, sive approbando laudum Arbitratoris, licitè appellari, quia pronuntians *super causa reductionis* est verè Judex ordinarius, ut dictum est; ab hoc autem rectè appellatur, & peti potest usque ad 30. annos; Gail. *l. 1. observ. 150. à n. 2.* Reductio autem

Tom. I.

petenda est coram Judice ordinario non Arbitratoris, sed eo, coram quo aliàs agendum fuisset, si compromissum factum non esset.

Not. 2. quòd, quando in aliqua causa compromittitur in *Clericum, & Laicum simul*, & eorum laudum petitur reduci ad arbitrium boni Viri, verius sit, ad eundem esse Episcopum, Judicem Clerici, & non ad Judicem Laici, juxta Barb. *h. t. in c. 9. n. 5.* quamvis aliud dicendum esse censet de appellatione, cum res est profana. Not. 3. Reductionem à dato arbitrio ad arbitrium boni Viri peti posse non tantum intra decem dies, sed tringinta annos à dato arbitrio; nam jus petendi reductionem ad arbitrium boni Viri, est *personale*, quod non præscribitur nisi 30. annis, *L. sicut C. de præscript. 30. vel 40. annorum V. n. 2793.*

Dices: *L. penult. C. h. t.* statuitur tempus *decem dierum* ad reclamandum à sententia Arbitri; & cum distinctione ad reclamandum à sententia Arbitri *electi ex compromisso C.* à sententia *arbitratoris*, N. nam de illo; non autem isto, loquitur lex citata. Ita Gail. *l. 1. observ. 150. n. 2.* Maranta *p. 6. ad appellat. à num. 112.*

2769.

ARTICULUS VII.

Qualiter cesset potestas Arbitri?

Resp. potestatem Arbitri cessare 1. ipsius morte; vel etiam unius, re adhuc integra, si plures sint electi, per *num. 2759.* ut colligitur ex *L. 35. ff. de Rescriptis, qui arbitrium*; & *c. Uno 42. de offic. deleg.* ubi dicitur: si unus ex Judicibus delegatis, vel Arbitris vitâ excesserit, etiam aliorum officium expirat: nisi in delegatione, vel compromisso clausula adjecta sit, *si non ambo, aut si non omnes &c.* vel res non amplius sit integra (ut supra dictum est) sed judicium agitari cceptum: tum enim unius morte non extinguitur jurisdictio aliorum, *cit. c. licet*, & notat gloss. hic *verb. delegatorum*. Tertio, si unus alteri vices suas commiserit, illo mortuo jurisdictio manet, etiamsi res integra sit *c. quamvis, 6. h. t.* Quarto, si delegatio facta sit intuitu dignitatis: quia morte delegati non extinguitur; sed ad successorem transit *c. quoniam, 14. h. t.*

2770.

Nn nn 2

Hoc

Hoc amplia, ut doctrina tradita procedat, si alter Judicium judicandi potestate privatus sit, ut quia infamis redditus est juris infamiâ, uti colligitur ex c. *sciscitatus*, 14. de *rescript.* & docet gloss. *cit.* vel si ob crimen à dignitate, quam habet, per sententiam depositus, sicuti dixi in *cit. c. quoniam*, & c. *licet*. Secundò potestas Arbitri cessat morte alterutrius compromittentium; nisi in compromisso utrinque facta sit mentio hæredum per c. *ex parte*, 10. *h. t.* Nam cum Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti in discordia elegerent, alij quidem Henricum de Juliaco, alij verò Conradum de Lambardia: duo isti curarunt compromissum fieri in Archiepisc. Coloniensem: Is causæ meritis diligenter auditis, ac perspectis, diem partibus designavit ad sententiam definitivam ferendam. Interea autem moritur Henricus; quo audito Archiepiscopus prohibuit Canonicis, ne pendente suâ sententiâ, ad aliam electionem procederent: sed aliqui non obtemperantes Beatum Canonicum Coloniensem elegerunt. Igitur cum die constituto in præsentia partium compromittentium sententia ferri deberet, Beatus ille electus venit, & allegavit ulterius procedendum non esse; cum per Henrici mortem compromissum finitum fuerit. Super hac re consultus Honorius III. respondit; tametsi compromissum morte Henrici finitum fuerit, tamen de prioris electionis meritis cognosci prius oportuisse, quàm procederetur ad secundam: quandoquidem, si Conrado superstiti jus competat ex electione, satis constat, posteriorem penitus non valere.

2771. Tertiò, finito tempore, ad quod Arbitrator constitutus est, L. 1. *C. de Recept. arbitr.* quartò, finitâ causâ, & latâ sententiâ, L. 19. *cum seq. de Recept. arbitr. c. 11. h. t.* Nam, cum inter Episcopos Beltrensem, & Beltvenensem ex una parte, & Cives Tervisinos ex altera controversia esset super districtu, & quibusdam alijs rebus, ea per Episcopum Hostiensem Apostolicæ Sedis Legatum terminata fuit. Sed postea alijs exinde ortis discordijs, partes compromiserunt in Ducem Venetorum, obsidibus ab utraque parte datis: Sed & Papa Honorius III. eidem Duci per literas mandavit, ut partes componere curaret. Sed cum Dux à Legato antea latam sen-

tentiam immutare ausus esset, rescripsit Honorius; intentionis suæ non fuisse, ei committere, ut controversias latâ per Legatum sententiâ sopitas revocaret: quare mandavit quibusdam à se delegatis, ut non obstantibus prioribus literis suis, quæcunque per Ducis arbitrium adversus Legati sententiam decreta esse invenerint, in irritum revocent, ac directè prohibeant Duci, ne ulterius in compromisso procedat, eundemque ad restitutionem obsidum, quos ad compromissi observationem stabiliendam acceperat, per censuram Ecclesiasticam compellant. Præter hæc:

Quæres 1. si Prælatus, aut Rector Ecclesiæ super ejus juribus compromisit, utrum per ejus mortem extinguatur compromissum, si arbitrium nondum latum sit? Resp. cum Abbate hîc n. 9. si compromissum sit super re, aut jure Ecclesiæ, de quo Rector ejus, seu Beneficiarius solus disponere potest alienando, transigendo, compromittendo, tunc extinguitur compromissum; quippe cum de rebus Ecclesiæ disponere non possit ultra tempus vitæ suæ, uti dictum est in c. *Veniens* 8. de *transact.* Sin autem super juribus Ecclesiæ, de quibus solus Prælatus disponere non potest, compromissum factum est cum debita solennitate, videlicet interveniente consensu Capituli, & Superioris &c. tum non extingui per mortem Prælati: cum ipse non fuerit principalis compromittens; sed minister tantum compromittentis Ecclesiæ.

Quæres 2. an, quod hîc dictum est de Arbitris, etiam procedat de Arbitratoribus? affirmativè respondet Abbas in c. 42. de *offic. delegat. n. 4.* quia generali Arbitrorum appellatione etiam Arbitratores comprehenduntur, uti constat ex *L. Societatem* 76. *q. Arbitrorum, ff. pro socio.* Quare regulam hîc tradit Abbas: quod *jura facientia mentionem de Arbitris, etiam ad Arbitratores referri debeant, nisi ratio diversitatis appareat.* Verùm si per Arbitratorem intelligamus, qui jus partibus non dicit, sed amicabiliter eas componit, eum nomine Arbitri non comprehendi, dicitur in *L. Pomponius* 6. *recepisse, ff. de receptis, qui arbitrium;* & notat Bartol. ibi: *Arbiter est, inquit, quæ inter partes Judicis officium assumit; non, qui amicabiliter componit.*

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

2774. **E**X dictis n. 2743. constat, quosdam esse *Arbitros juris*, qui vero *Judici* æquiparantur, & ferunt sententiam propriè dictam *ex n. cit.* contra quam appellari possit (de quibus fit mentio c. 11. de offic. deleg. in 6. ibi: *ab Arbitris, qui secundum formam juris, ut proposita contra Judicem suspicionis causa cognoscant; vel qui, cum de revocatione ambigitur literarum, Judicibus nequeuntibus in unam sententiam concordare, ad concertationem hujusmodi sapiendam à partibus eliguntur, est, si gravaverint, ad Sedem Apostolicam appellandum*: quosdam autem, qui non à jure, sed sponte ab ipsis partibus eliguntur, cum pacto obligatorio ad acquiescendum arbitrio eorum, quod pactum in jure dicitur *compromissum*; & Arbitri sic electi *Judices compromissarii*, quorum sententia laudum dicitur; quosdam denique, *sine tali pacto*, ut diximus à n. 2743. quibus positus:

2775. Not. 1. Arbitros, à partibus sponte electos, sed sine dicto pacto obligatorio, non habere nomen *Judicis* etiam *compromissarii*, adeoque *Arbitratores ab Arbitris strictè*, seu *Compromissarii*s differre, ut colligitur ex L. 76. ff. pro Socio, ibi: *Arbitrorum enim duo sunt genera; unum ejusmodi, ut sive æquum sit, sive iniquum, parere debeamus, quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrum itum est: alterum ejusmodi, ut ad boni Viri arbitrium redigi debeat, etsi nominatim persona sit comprehensa, cujus arbitratu fiat.*

Ex hoc textu colligitur, semper standum esse sententiæ *Arbitri compromissarii*s; quod etiam habetur L. 27. §. 2. ff. h. t. ibi: *stari autem debet sententia Arbitri, quam de re dixerit, sive æqua, sive iniqua sit; & sibi imputet, qui compromisit*: sententiæ autem *Arbitratoris* tunc solum standum esse, quando non est manifestè iniqua, ut habetur L. 79. ff. pro Socio, ibi: *Arbitratoris sententia, si manifestè iniqua est, reducitur ad alterius boni viri arbitrium; quod tamen fieri non posset, si compromis-*

sum fuisset; tunc enim etiam iniquæ sententiæ standum esset.

Not. 2. *Arbitros* differre ab illis, qui *Mediatores, & amiables Compositores* dicuntur, in eo, quòd hi potius agant *Consiliarios*, quàm *Judices*; & ideo eorum *Judicio* non teneri partes stare, nec talem *mediatorem* contrahere ex pacto obligationem, ferendi *Judicium*; sed posse ad libitum recedere; & de his loquitur §. 2. legis, 13. ff. h. tit. bene distinguens inter *compromissarium*, qui se ad *Judicandum* obligavit; & *mediatorem*. *Recepisse autem arbitrium*, videtur, qui *Judicis* partes suscepit, finemque se suam sententiã *controverſijs* impositurum pollicetur; quod, si hætenus intervenit, ut experiretur, an consilio suo, vel *authoritate* discuti *litem* paterentur? non videtur *arbitrium* recepisse.

Not. 3. *compromissum* esse *contractum innominatum* (*facio, ut facias*; & qui solo consensu perficitur; *nominatum* verò, si accedat *stipulatio*; & absolvi, seu compleri per *acceptationem*, & *consensum* *arbitri electi*; & hac *acceptatione* *posita*, *arbitrum* obligari ad præstandum officium *Arbitri*, per L. 3. §. 1. ff. h. t. ibi: *tametsi neminem Prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera, & soluta est, & extra necessitatem jurisdictionis posita: attamen, ubi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam, & sollicitudinem suam, hanc rem pertinere Prætor putat; non tantum, quòd studeret lites finiri; verum, quoniam non deberent decipi, qui cum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt.*

Not. 4. *Electio* *arbitri* posse remitti in *arbitrium*, seu *voluntatem tertij*; & facta *electione* à *tertio*, partes obligari, non secus, quàm si ipsæ elegissent, c. *penult. de Arbitris*, ubi, cum *Legatus Apostolicus* ex consensu partium designasset *arbitros, & Mediatores* duos, illique causam terminassent; *nos igitur* (inquit *Greg. IX.*) *quod per prædictos Mediatores super hoc actum est, auctoritate Apostolica confirmamus*; secus esset, si in *incertam personam*, ab *arbitris* in discordia eligendam, *compromissum* fieret, quo casu *compromissum* est nullum.

Not. 5. ad modum *compromittendi* spectare, ut exprimat *causa*, quæ est

arbitro judicanda; quia terminos designatos, si excedat, nihil agit, L. 32. §. 14. ff. h. t. ubi dicitur: de officio arbitri tractantibus sciendum est, omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum; nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi, ut efficere possit, cautum est; non ergo, quod libet, statuere arbiter poterit, nec in qua re libet, nisi de qua re compromissum est, & quatenus compromissum est. Not. 6. in eo loco Arbitrium esse exercendum, in quo in eum compromissum est, seu in quo Arbiter compromissum accepit; L. 21. §. 10. ff. h. t. Hinc impunè illi non paretur, si alio loci adesse jusserit

2780. Not. 7. nisi aliud in compromisso expressum sit, sententiam dictam, uno, vel utroque litigatorum absente, non valere; pœnam tamen committi ab eo, qui culpâ suâ defuerit; L. 27. §. 4. ff. h. t. Not. 8. per contestationem litis, coram arbitro, æquè, ac in alio judicio, præscriptionem interrumpi, per L. 5. §. 1. C. h. t. ibi: plenius tamen, ac generaliter definimus; conventum in scriptis apud Judicem compromissarium factum ita temporis præscriptionem interrumpere, quasi in ordinario judicio lis fuisset inchoata.

2781. Not. 9. acta coram arbitro, fidem facere coram Judice Ordinatio. Nam generaliter Sancimus, inquit Imperator cit. L. 5. §. 2. in his, quæ apud compromissarios facta sunt, si aliquid in factum respiciens, vel professum est, vel attestatum, posse eo & in ordinarijs uti judicijs. Not. 10. nec arbitrum compromissarium, nec arbitratorem teneri officium sibi delatum acceptare; cum non sit officium publicum, vel lege constitutum; sed merè voluntarium. Hinc negandum est, quod indefinitè docet Imola in c. Pastoralis, de offic. delegati, peccari mortaliter, non acceptando officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reduceret; quia sic non esset officium voluntarium, contra communem sensum Doctorum.

2782. Not. 11. Si arbiter expressè, vel tacitè, acceptavit officium, non posse renuntiare; sed, cogendum, ut illud adimpleat. Nam, taliter acceptando, contraxit naturalem obligationem implendi munus, in quod consensit; ita Sanchez l. 4. Consil. moral. c. 1. d. 42. n. 6. Censetur autem tacitè acceptare, si scienter recepit instrumentum,

in quo fuit designatus arbiter, & legit, atque tacuit; ita Sanchez cit. Not. 12. quamvis infames infamiâ juris, vel facti, non possint esse judices, c. Infamis, q. 7. posse tamen esse Arbitros compromissarios. Hinc enim nullam habent dignitatem, vel jurisdictionem; sed meram, & simplicem cognitionem; gloss. ad regulam: Infamibus, in 6. sic Armilla V. Infamia, nu. 11. Tabiena, eod. n. 11. Sylvester eod. q. 3.

Not. 13. Cùm n. 2757. & sequent. diximus, quandoque à partibus recusari posse Judicem, ac eligendos esse arbitros, qui de justitia causæ recusatationis cognoscant; id intelligendum de jure Canonico, juxta sequentia. 1. ut recusans Judicem proponat recusatationem, & alleget causam coram Judice recusato, licet non teneatur probare coram illo, c. cum speciali, 61. de appellat. in 6. ibi: volens Judicem, ut suspectum recusare, coram eodem causam suspicionis explicare debeat; idem habetur c. secundo requiris, 41. de appellat. 2. quòd in tali casu partes debeant eligere arbitros, qui de justa causa suspicionis cognoscant, ob quam recusatur Judex, c. Legitima, de appellat. in 6. ibi: legitima suspicionis causa contra Judicem assignata, arbitris à partibus (secundum formam juris) electis, qui de ipsa cognoscant; & cit. c. cum speciali, ibi: statuimus, ut, si allegaverit, se Judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet, & ipse cum adversario, vel si forte adversarium non habeat, cum Judice, arbitros communitè eligat.

Not. 14. quòd, si partes convenire non possent in electione arbitratorum, unam partium debere eligere unum; alteram, alterum; & si nequiverint in unam sententiam convenire, eligant tertium, ut, quòd duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis, sic c. cum speciali cit. Not. 15. non requiri, quòd arbitri sint ex eodem loco, c. secundo requiris, 41. §. tertio postulus, de appellat. ibi: partes in aliquos non valde remotos conveniant, junctâ gl. in cit. c. Legitima. Unde non debet esse locus, in quo eligit remotior, quam ultra unam dictam, ita Francus in cit. c. secundo requiris, per c. statutum, de Rescript. in 6.

Not. 6. quòd, si coram Arbitris causa suspicionis fuerit probata, Judex recusatus cau-

2783.

2784.

causæ cognitioni supersedere teneatur; ipsa enim ratio dicitur, quod *suspecti, & inimici Judices esse non debeant*, ut expressè dicitur c. *secundo requiris, dict. 2. tertio*. Et tali casu de *Recusatoris assensu* personæ idoneæ Judex recusatus committere debet negotium, vel ad Superiorem transmittere, ut in eo ipso procedat, prout statuitur in c. *cum speciali, S. V. infra n. 2788*. Not. 17. si causa suspicionis legitima, intra terminum competentem non fuerit probata, Judicem recusatum sua jurisdictione uti posse per dict. c. *cum speciali*; terminum autem, *intra quem* causa suspicionis probari debet, assignari ab ipso Judice recusato per c. *Legitima, 2. eod. in 6. ibi*: statuimus, ut *ipsis Arbitris per Judicem competens terminus præfigatur, intra quem in idem conveniant*, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter eorum, eju- dem suspicionis negotium terminare procurent; *alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat*.

2786.

Not. 18. tres esse casus, in quibus non itur ad arbitros, ut judicent de causa recusationis, qui omnes habentur expressè c. *si contra, de offic. deleg. in 6.* Primus est, quando Papa delegat causam aliquam determinandam duobus Judicibus, cum hæc clausula, *quod si ambo interesse non possint, alter eorum in causa procedat*? tunc enim, si alter recusetur, causa recusationis probanda est coram altero non recusato; secus, si non sit dicta clausula; tunc enim ad arbitros recurrendum est, ut notat Francus c. *cum speciali, de appellat. n. 2.* Secundus casus est, quando *delegatus ab Episcopo recusat*; & idem est (ut notat Francus cit.) quando recusat delegatus à quocunque alio Ordinario; tunc enim causa recusationis est coram eo, qui illum delegavit (scilicet Episcopo, vel alio ordinario) probanda. Tertius est, quando recusat Vicarius Episcopi; tunc enim causa est probanda coram Episcopo, licet à Vicario Episcopi ad ipsum Episcopum non sit appellatio; & ratio differentiæ est, secundum Francum, & Anchar. eod. c. *si contra*, quia appellatio concernit *jurisdictionem*, quæ in Episcopo, & Vicario est eadem; cum sit unum tribunal, & ideo à Vicario ad Episcopum non appellatur: at recusatio respicit *suspicionem adherentem*

recusato; licet autem Vicarius suspectus sit, non ideo est suspectus Episcopus; quod intellige, nisi Vicarius, vel delegatus recusetur ex causa concernente ipsum Episcopum, vel Ordinarium: ut quia est oriundus de patria adversarii, sicut est Episcopus, vel ille Ordinarius, tunc enim non est tractanda causa coram Episcopo, sed coram Arbitris; sic Sanchez *cit. l. 6. c. 8. d. 3. à n. 24.*

Not. 19. si pluribus committitur causa in solidum, recusato uno posse alterum cognoscere de causa recusationis; colligitur ex c. *cum plures, de offic. delegati in 6.* ubi dicitur, si pluribus Judicibus, in solidum delegatis, & uno inchoante, ambo procedere non possint, illum procedere non debere, *nisi prior impeditus sit*; at ubi unus recusat, *is impeditus est*; ergo tunc alter non recusatus de recusationis causa cognoscere debet.

2787.

Dices: in c. *si contra, de offic. deleg. in 6.* expressè dicitur: delegatis pluribus in solidum, & uno recusato, *non posse alterum procedere*, si non sit clausula: *si ambo non possint interesse, alter eorum in causa procedat*. Et id verum esse, si nec expressè, nec tacitè sit ea clausula; non autem, si solum non sit expressè. Nam per hoc, *quod alter sit impeditus*, non impeditus procedere potest ex c. *cum plures, ex hoc n. 1.* sed hoc, *tacitè* involvit eam clausulam; ergo.

Not. 20. quando in c. *suspicionis, de offic. deleg. dicitur*, quod Arbitri debeant assignare partibus terminum, & in dict. c. *Legitima 2. eod. in 6. quod Judex recusatus debeat assignare terminum*, utrumque sic conciliari, ut c. *suspicionis*, intelligatur de termino ab Arbitris assignando partibus *ad probandum*, seu ut præbeant causam recusationis; & alterum c. *Legitima*, de termino *per Judicem recusatum* assignando Arbitris, *ad causam definiendam*, seu ut causam definiant; sic gloss. *in dict. c. Legitima, V. per Judicem*. Not. 21. de Jure Canonico, Arbitros, ubi compereant, causam recusationis esse justam, non propterea posse procedere in causa principali, ut colligitur ex cit. c. *cum speciali*. Quid verò tunc agendum, diximus supr. Cum autem ibidè dixerimus, eo casu, quo causa recusationis legitimè probata est, Judicem recusatum *posse alteri causam delegare*, intelligendum id est, juxta sequentia.

2788.

Quare:

Not.

2789.

Not. 22. Judicem recusatum (si est delegatus à Principe) posse committere alteri totam suam jurisdictionem, antequam proposita sit recusatio ; non autem post hanc propositam, licet arbitri non sint electi, nisi consentiat recusator ; habetur in c. *Judex* 5. de offic. deleg. in 6. ubi expressè statuitur : si à Papa delegatus Judex legitimè recusari possit (quia v. g. Dominus est impetrantis) non prohibetur causam sibi commissam alteri subdelegare, priusquam recusatio contra eum proponatur, adeo, ut si in totum causam subdelegarit, commissio ex hoc capite impugnari, aut recusari non possit. Sin autem partem tantum, sive articulum causæ, alteri commisit delegatus, tum recusari potest, & commissio ejus oppugnari. Et sub hoc in §. post recusationem, subjungitur : proposita, aut etiam probata recusationis causâ Judex delegatus vices suas alteri committere potest, si pars consentiat : sed ea nolente, non potest. At postquam sententia lata est contra Judicem recusatum, ne quidem cum partium consensu subdelegare poterit, cum Judex esse desierit.

2790.

Ex dictis colliges 1. Judicem, etiam à Principe delegatum, posse recusari ex justa causa, tanquam suspectum ; constat ex cit. c. *Judex* 5. h. t. in 6. ibi : recusari valeat ut suspectus. Colliges 2. delegatum ab inferiori Judice, quam à Principe, à partibus recusatum, non posse causam sibi commissam alteri subdelegare. Nam tales delegati non habent facultatem subdelegandi. L. more majorum, ff. de jurisdiction. omnium Judic. L. à Judice, C. de Judic. Colliges 3. delegatum à Principe, quantumvis recusatum, licet electi sint Arbitri, etiam in vitis partibus posse causam alteri committere, etiam postquam suspectus fuit judicatus, dummodo pronuntiatum nondum fuerit super justitia causæ recusationis ; constat ex cit. c. *Judex*, ibi : dummodo pronuntiatum non fuerit super ea. Colliges 4. etiam Judicem Ordinarium, quantumvis recusatus sit, & causa suspicionis probata, posse etiam in vitis partibus causam alteri delegare, antequam arbitri pronuntient sententiam ; Francus in cit. c. cum speciali, & habetur in c. si quis contra 4. de foro compet. ubi dicitur, permittendum nequaquam esse, ut Clerici à Laicis teneantur ; sed, si quispiam

contra Clericum querelam, aut controversiam habeat, Episcopum ejus adeat, qui, si suspectus sit actori, deputandus erit executor (seu ab ipso Episcopo, seu, si & hoc Actor refugerit, a Vicario, seu delegato Sedis Apostolicæ) qui partes cogat, ut communi consensu Judices, seu potius Arbitros eligant, & ab his, quidquid fuerit constitutum, Episcopus, vel Legatus curabit executioni mandari.

2791.

Ex hoc textu colliges 5. Episcopum loci, & Apostolicæ Sedis Legatum ; in jurisdictione ordinaria concurrere ; sed non debere Legatum causas subditorum suscipere, nisi ob defectum Episcopi ; quia videlicet terminare negligit, vel quia recusatur, aut ab eo appellatur, uti etiam habetur in Concilio Trid. sess. 24. c. 2. de reform. Colliges 6. Judicem ordinarium, v. g. Episcopum, posse recusari, ut suspectum ; & tali casu, si recusandi causa notoria, vel coram arbitris, communi consensu electis, probata sit, juxta c. cum speciali 6. de appellat. Judicem ordinarium supersedere debere, & vel delegatum, ex consensu recusatoris, deputare ; vel partes cogere, ut in arbitros compromittant ; vel denique causam ad Superiorem, videlicet Archiepiscopum, aut Papam defendendam esse, uti colligitur ex hoc c. & cit. c. cum speciali, junctâ gl. causâ 11. q. 1. Colliges 7. Arbitros Juris, qui à Judice ordinario cum partium consensu statuuntur, laudum seu sententiam à se dictam exequi non posse ; quia solum constituti censentur ad pronuntiandum, ideoque pronuntiatione facta extinguuntur omnem eorum potestatem ; executio autem sententiæ latæ ab ordinario Judice fieri debet, ut colligitur ex hoc capitulo ; hæc ad istum titulum hujus libri postremum.

2792.

Cæterum præmissis quæstionibus ad 43. titulos hujus libri, suis locis addenda sunt seqq. & 1. ad n. 2442. nota sententiam illam, qua dicitur, facultati Mendicantibus concessæ in Clement. Dudum, non esse derogatum per Trid. sess. 23. de reform. c. 15. quoad quæstionem dicto numero propositam, juxta formam cit. Clementinæ doceri à Fagundez l. 7. c. 2. n. 16. Layman in Theol. morali l. 4. tr. 6. cap. 11. n. 4. Felino de casibus reservat. cap. 3. n. 3. Villalob. in summ. tom. 1. tr. 9. diffic. 53. n. 3. Laurent. de Peyrinis de Relig. subdit. to. tom.

zo: tom. 1. q. 1. c. 21. §. 2. Diana, moral: resol. p. 3. tr. 2. resol. 24. Lezana in summ: qq. Regul. c. 19. n. 3. Erasmi à Cochier: de iurisdictione Ordin: in exemptos p. 4. q. 771. Hurtado diss. 10. de Pœnit: diffic. 15. vers: Navarro, & aliis apud Barbosam in cit. c. 15. Trid. n. 31. in med.

2793.

Ad n. 2768. quo diximus à Judice reductionis, licet appellari, ulterius not. quod Judex reductionis est ille ipse, qui alioquin Ordinarius fuisset, si Actor in iudicio litigare voluisset; nam (ut ex professo tradit Gail. obs. 149.) iste Judex, & non Judex Arbitri, adendus est; quia petitio reductionis est provocatio quædam ad Judicem competentem, qui debuisset adiri, si compromissum non fuisset.

Nec obstat, quod dicitur, Judicem reductionis succedere in locum Arbitri intelligitur enim, quod succedat in locum arbitri, at non ut arbitri voluntarius; sed necessarius, & arbitri juris; ab hoc autem potest appellari; & quamvis Judici reductionis in casu, quo quis gravatus est, cognitio super hoc committatur Ordinarij Judicis arbitrio; non propterea sequitur ei non committi ut Judici, à quo appellari possit. Plura enim sunt exempla, ubi a Judice, cui aliqua res (ut bono Viro) commissa est, conceditur appellatio, ut inter alia constat ex c. 1. de dilationib. Nam, in casu ibi relato, contraversia inter Abbatem ex una, & Moniales ex altera parte, arbitrio delegatorum commissa fuit; & tamen, quod illi Judices nimis brevem terminum citatis ad comparandum assignaverint, Abbati contra hoc appellanti, delatum fuit.

Advertendum nihilominus in dicto casu à Judice reductionis controverso quoad questionem, an licet ab illo appellatur? posse distinctionem adhiberi, ut detur negantibus in casu, quo Judex reductionis sententiam arbitri, latam contra petentem, confirmavit; quia tunc ipse Judicem elegit: secus, si sententiam tulit contra eum, qui non petiit reductionem; tunc enim invitus sustinet Judicem, & gravatus dici potest.

2794.

Ad n. 2167. Huic postremo posset opponi textus Tridentini, sess. 14. c. 2. de Reformation. relatus n. 2166. ubi hoc videtur clare negari, ibi: *nemo Episcoporum, in loco etiam exempto, vigore ullius privilegij, alterius subditum, absque sui proprij Prælati consensu, & literis dimissorijs ordinari* Tom. 1.

re valeat. Sed hæc oppositio non probat, exemptum ordinari non posse in loco exempto, sine licentia Ordinarij talis loci, si ordinandus gaudeat privilegio, ut ordinari possit, à quocunque Episcopo Catholico, habente communionem Sedis Apostolicæ, si Ordinarius non sit Episcopus merè titularis; quia per hoc nihil omnino fit contra illud decretum Tridentini. Nam decretum, prohibens ordinationem in loco exempto celebrari ab Episcopo alio, sine licentia Ordinarij talis loci, loquitur de Episcopis Titularibus solum, & ordinantibus alienum subditum, vigore privilegij sibi concessi: sed nihil horum contingeret in casu nostro 1. quia talis Episcopus solum ordinaret vigore privilegij, non sibi, sed exempto concessi, ut ponit casus; 2. non ordinaret subditum Ordinarij loci, quia ordinandus ponitur exemptus ab Ordinarijs locorum; 3. non ordinaret alienum; quia talis exemptus, vigore sui privilegij à suo Superiore per ordinem ad recipiendos Ordines subicitur legitime tali ordinanti non minus, quam habens dimissorias à suo Ordinario; nec Pontificalia exerceret in aliena diœcesi, nec sine consensu Ordinarij; nam locus exemptus juridicè, est extra diœcesim Ordinariorum localium, à quibus ordinandus ponitur exemptus; & quia, vi privilegij Papalis, exempto talis facultas est concessa recipiendi ordines à quocunque Antistite Catholico, indirectè etiam huic, qui ad talem functionem eligitur, conceditur à privilegiantem illum, facultas dandi; consequenter hic operans ex tali consensu Papæ, operatur ex consensu Ordinarij, etiam talis loci; Papa enim, relatè ad quamcunque Diœcesim, verè, ac propriè Ordinarius est.

2795.

Post n. 2189. addendum 1. diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes, Sacros Ordines ab alio, quam Papâ, conferri non posse, per Decretum Alexandri III. in c. Subdiaconos 1. h. t. quod intellige, spectato jure communi; nam secus est de privilegio, prout id habet nostra Societas ex privilegio Gregorij XIII. ipsi concessio, & dato Tusculi 22. Septemb. 1582. ut refert Barbosa in dictum c. 1. n. 5. ibid. cum Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. q. 39. a. 4. & Aloysio Riccio, volens, virtute aliorum privilegiorum, à summis Pontificibus, ante Tridentinum concessorum, non posse Regulares nunc ordinari sacris Ordinibus

- nibus extra tempora ; sed vide, quæ diximus à n. 2175.
2796. 2. Criminolum occultum *moneri* posse, ne promoveatur ad Ordines ; non autem *prohiberi*, ut dicitur c. *Ex tenore*, 4. *h. t.* ubi textus loquitur de crimine occulto, propter quod, si esset manifestum, degradaretur ; ubi ad ea verba in dicto c. *verumtamen*, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, cum non debes aliqua ratione prohibere ; addit D. Antoninus p. 3. tit. 14. §. 1. & Sylvester V. *Ordo*, 3. q. 7. apud Sanchez de *Matrim.* l. 3. D. 15. n. 8. quòd laborans occulto impedimento, si publicè ordines petat à proprio Episcopo, casu, quo tenetur eos conferre, non possit repelli ; rationem reddit Barbosa in *dict.* c. 4. num. 3. ex Navarro *h. tit. consl.* 42. & Sayro in *floribus decision. decis.* 9. 3. quia nullum crimen enorme, ac depositione dignum, dum manet occultum, facit irregularem ; sed an hoc procedat ? V. quæ diximus lib. 5. tit. 39. ubi de Irregularitate.
2797. 3. duos sacros Ordines, spectato jure communi, non posse licitè conferri eidem, etiam continuato jejunio sic, ut unus ei hodie, alter sequenti die conferatur ; ut dicitur in c. *liseris*, 13. *h. t.* ibi : si enim utrumque Ordinem eodem die conferre non licuit, pari non licuit ratione, uno die unum ordinem, & alium altero (jejunio continuato) conferri ; cum propter continuationem jejunij, *fictione canonica*, sive manè diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum ; sive vespera Sabbati ad diem Dominicam referatur, profectò manè cum vespera, sive vespera cum manè, ad eundem diem pertinere dicitur ; plura ibidem profequitur Innocentius III.
2798. 4. Ordinibus sacris initiatum, extra tempora à jure statuta recipere quidem Ordinem ; c. *Consultationi*, 16. *h. tit.* ibi *characterem non est dubium recepisse* ; competentem tamen pena castigandum ; & eà peractâ sustineri ab Ordinario posse, ut in susceptis *ministret* ; ut expressè ibid. loquitur textus ; quod limitat Barbosa *ibid.* n. 2. si Ordinarius in nulla fuit culpa ; dixi, *ministret* ; nam ut ad altiores ascendat, hodie dispensat solus Papa, vel ex speciali commissione Legatus de Latere ; sic Rebuffus in *praxi benefic. p. 2. tit. de Clericis malè promotis, gloss. 2. n. 15.* & quoniam in dicto c. Pontifex ad consultationem sibi propositam ab Episcopo Baranensi (an dispensare possit, peractâ penitentia, cum eo, qui extra tempora juris, sacros Ordines suscepit, ut in susceptis ministret) respondit, poteris ; deducunt Authores, non induci quidem novum jus dicto responso ; determinari tamen jus commune ad dictum casum, si responso procedat à Legislatore.
2799. 5. Episcopum Italiæ, qui ordinat ultra montanum, sine dimissorijs sui Ordinarij, vel Papæ licentiâ, puniendum esse penâ condignâ ; Ordinatos autem ab illo, manere suspensos absque spe dispensationis, etiam à Pœnitentiarijs Papæ, obtinendâ ; sed solum à Sede Apostolica ; c. *sepe*, 1. *h. t. in 6.* sic Clemens IV.
2800. 6. Subditos Episcopi, qui scienter ordinavit Clericum alienum, posse absque illius licentiâ, *intrin* recipere ordines ab alio vicino Episcopo, postquam ejus suspensio (quam eo facto incurrit, duratura per annum) fuerit manifesta ; c. *Eos, qui*, 2. *eod. in 6.* id, quod etiam procedit, si hoc fecerint ignorantia affectatâ, vel quæstio quocunque alio *figmento* ; sic Gregorius X. *loc. cit.*
2801. 7. Officiales, seu Vicarios Episcoporum in *spiritualibus de jure communi*, dare posse *commendatitias ad ordines* ; inferiores autem Episcopis, solum *ex privilegio* ; sic Bonifacius VIII. c. *cum nullus*, 8. *h. t. in 6.* nisi gaudeant jurisdictione quasi Episcopali : si autem contingat Regulares degere in Prioratibus non exemptis, ordinari posset ab Episcopo loci, quamdiu morantur in eo loco, licet inde non fuerint oriundi, ut habetur dicto c. 8. §. *Religiosi vero*.
2802. Ad n. 2193. Notandum autem Episcopum censi loco *renuntiâsse*, quando renuntiavit *Administrationi* ; & hoc non obstante, si rogetur ab alio Episcopo, vel ejus subdito habente dimissorias à proprio suo Antistite, posse conferre Ordines eidem, etiam sacros ; ut diximus *loc. cit. ex c. unico, h. t.* sic Abbas in c. *supplicationem, de Renunt. nu.* 10. quia tali casu retinet characterem, & dignitatem, ut notat Flaminius de *Resignat. lib. 1. q. 17. n. 15.* adeoque adhuc ea, quæ Ordinis Episcopalis. Advertendum præterea, dimissorias ab Episcopo suo subdito datas, ante

ante renuntiationem non extingui secuta illius renuntiatione sive quoad locum tantum, sive etiam quoad dignitatem; alias etiam alias facultates ab Episcopi jurisdictione pendentes (collationes nimirum beneficiorum, &c.) ex eadem ratione securae talis renuntiationis extinguentur, licet concessa fuissent prius, quam resignaverit. Et quoniam ejusmodi renuntiationes, priusquam ab eo, qui potest, admittantur, non valent; videtur omnino dicendum, quae dicto c. *Episcopus*, 1. h. tit. statuta sunt, intelligenda esse de renuntiatione *admissa* per legitimum Superiorem.

2803. Ad n. 2201. Constat hoc ex c. *ut Abbates*, 1. h. t. ubi praecipitur, *ut Abbates, Decani, & Praepositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant; qui Archidiaconatus tenent, Diaconi: qui vero Archipresbyteratus, Presbyteri fiant, aut amittant honorem; ubi simul statuitur, ut etiam tunc Praelationes amittant, si aliqua justa causa prohibente, in eo ordine, qui exigitur in ea praelatione, esse non potuerint; & quoniam textus de hoc loquens, ait Praelationes amittant, nimirum Abbatiam, Decanatum, Praepositorum, & reliqua praemissa, colligunt Doctores, Abbates, dici Praelatos; sic Barboza de *Appellativis*, appellat. 214. id quod etiam dicendum de Decanatu, non Rurali, sed in civitate Episcopi, seu loco Residentiae Episcopalis; Decanus enim in civitate, in qua residentiam suam non habet Episcopus, non est Decanus civitatis, sed oppidi, de stylo canonico; de quo plura lib. 3. & superius a n. 2293.*

2804. Not. praeterea, quaestionem esse, an Episcopus puero infra decennium constituto possit dispensative concedere Ecclesiam? videtur affirmandum per c. *Ex ratione*, 2. de aetate, & qualitate. Nam, cum Alexander III. intellexisset, quod Conventrensis Episcopus, pueris infra decennium constitutis Ecclesias plures conticisset, quae non per Clericos, sed per Laicos disponuntur, seu reguntur, mandavit Cantuariensi Archiepiscopo, ut dictum Episcopum super his corripat, & per Clericos, non Laicos, eas Ecclesias administrari curet, donec praedicti pueri ad congruam veniant aetatem; Episcopo autem prohibet, ne de cetero Ecclesias, nisi personis, quae aetatem, & scientiam habeant,

Tom. I.

regendas committat; secus, dispositionem ejus omnino viribus carere, decernendam.

2805. Circa praesentem causam certum videtur, illo tempore collationem beneficiorum, saltem simplicium, factam ab Episcopo, minori decennio, non fuisse invalidam; alias enim Pontifex non mandasset, illarum Ecclesiarum, quae illis pueris facta est ab Episcopo, administrationem, remotis Laicis committi Clericis, dum praedicti pueri ad congruam veniant aetatem; sed potius, esse removendos. Hinc jure decretalium, seu antiquo, beneficia simplicia, major septennio, poterat obtinere, saltem quae non requirebant Rectoriam, aut consilij maturitatem; sic Azor *Institut. moral.* p. 2. l. 6. cap. 5. q. 7. Garcia de *benefic.* p. 7. c. 4. a n. 4. & alij: quamvis hodie, spectato jure Tridentini sess. 23. de *Reform. c. 6.* nullus, ante decimum quartum annum, beneficium Ecclesiasticum possit obtinere; sic Flaminius de *Resignat.* l. 3. q. 7. n. 65. Lessius de *justitia* l. 2. c. 34. d. 20. n. 109. &c. quamvis, sufficere, decimum quartum annum attigisse, ad obtinendum beneficium simplex, esse decisum a sacra Congregatione referant complures apud Barbozam in *Collectaneis ad dict. c. 2. n. 1.* praesertim, cum sufficiat, etiam ad obtinendam Ecclesiam parochialem, attigisse aetatem illi praescriptam, per c. *licet canon.* 14. de *elect.* in 6.

2806. Ad n. 2199. Ex his Tridentini verbis videtur posse colligi, *Canonicatum in Ecclesia Cathedrali* posse obtineri ante 14. aetatis annum *completum*, a majori septennio; cum enim non petat, nisi, ut quis illo ordine sit initiatus, quem illa praebenda, vel Canonicatus requirit; ad hoc autem sufficient 4. minores, vel prima tonsura, quorum capax est septennium major; idem sufficere vi Tridentini (de quo n. 2199.) ad ejusmodi Canonicatum; praesertim in Ecclesia, ubi ex magno Canonico numero vix dimidia pars praebenda gaudet; consequenter ceteri totum *Canonicati* sunt in herba, seu spe praebendae, post decem, aut plures etiam quandoque vacaturae.

2807. Ad n. 2197. Not. quando in personis ad curam animarum ordinandis requiritur aetas ad beneficium curatum obtinendum

dum præscripta; esse intelligendum de actuali, non habituali cura; sic Cardin. Tuschus tom. 8. lit. 5. conclus. 101. & Barbosa ad c. eamte, 4. n. 2. Hoc enim denotat verbum, *animarum cura*, in propria significatione. In dignitatibus porro non curatis cum majore 20. annis, si aliud non obstat, dispensat Episcopus per c. unic. de etat. & qualitat. Ord. presic.

2808. Ad n. 2206. not. præterea, Ecclesiam Græcorum, in ordinationibus, & consecrationibus teneri servare unctiones, quas servat Ecclesia Romana; 2. si in consecratione Episcopi, ejus unctio fuisset prætermissa, supplendam esse per tres Episcopos; prout habetur c. unico de sacra unctione.

2889. Ad n. 2208. not. ex dicto c. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, etiam colligi, si in ordinatione prætermissa manuum impositio; vel in confirmatione, chrisimatis unctio, Sacramentum non esse iterandum; sed quod ommissum est, cautè supplendum; sic Innocentius III. ibidem, ubi nota, in textu legi, motam esse questionem, an iterari debeat Sacramentum, si in ordinatione Subdiaconi prætermissa fuit manus impositio; ex quo deduci videtur, in hoc textu supponi, eam ad ipsius ordinationem requiri, contra expressum in c. Subdiaconus, distinct. 23. responderi tamen dupliciter. 1. in eo textu rectius legi, in ordinatione Diaconi, non Subdiaconi, eò quòd in duplici exemplari M. S. ly Diaconus reperitur teste Anton. August. in Collect. ad 3. Decret. l. 1. tit. 12. c. unico; ut intelligatur textus de impositione manus benedictoria; non, consecratoria, ut vult Abbas hic n. 2. cum ex c. quoniam, distinct. 69. benedictio multiplex sit.

2810. Ad n. 2258. dictis adde, ad bigamiam, quæ facit irregularem in ordine ad ordinationem ex hoc, quòd quis duxerit viduam à priori viro cognitam, sufficere, modò una pars eorum in priori matrimonio consummato fuerit; nam sic non est conjugium unius ad unum tantum; quare non modò taliter bigamus est vir solutus, ducens viduam à priori marito cognitam; sed etiam conjugatus, post uxoris mortem ducens solutam, si cum ea consummat matrimonium. In neutro enim casu est matrimonium unius ad unum tantum; repræsentatio enim petit hoc veri-

ficari de quolibet, sicut de Christo, & Ecclesia.

2811. Sed quid, si solutus ducat viduam, à priori marito non cognitam? Resp. illum, ex hoc capite, non fore bigamum; nam licet illa non uni tantum, sed successive duobus nupserit; quia tamen cum priori ponitur matrimonium non consummasse, quod ad effectum bigamie, ut dictum est, requiritur; non erit ex hoc capite bigamus; id, quod etiam dicendum videtur, esto solutus duceret viduam à priori viro cognitam, si prius, quàm cum illa consummet matrimonium, vel illa decederet; vel ipse Religionem ingressus profiteretur, vel etiam de uxoris consensu sacris initiaretur, illa Religionem amplectente; ratio enim est eadem.

2812. Ad num. 2309. Not. autem, quamvis textus in dict. c. Clericos, 4. h. t. loquatur indefinite, ibi: *alios sibi substituere non permittas*, non restringendo verba ad *perpetuos*, sic, ut tantum *perpetuos* non liceat substituere: ex quo sequitur, quod nec *temporales*: intelligendus tamen est, cum limitatione, nisi subsit justa causa non diu duratura, v. g. infirmitatis, ut notat Avendan. p. 1. de exequendis mandatis, c. 3. n. 5. Et quoniam dictum c. loquitur de Vicarijs Ecclesiarum, quas Clerici etiam in aliis inferioribus ordinibus adepti sunt, non distinguens, an solum ad tempus, an perpetuè? videtur procedere de Vicarijs non modò perpetuis, sed etiam ad nutum amovibilibus.

2813. Ex dictis colligitur, Vicarium perpetuum esse, cui ad dies vitæ ipsius principalis Rector Ecclesiæ vices suas committit; ubi notandum, quòd licet in Ecclesiis unitis Collegio, Monasterijs, & similibus, Superior constituere vel jure suo, vel Episcopi autoritate (secundum diversa jura, de quibus lib. 3.) possit Vicarios perpetuos; talis tamen Vicarius non sit propriè Rector Ecclesiæ, sed solum Rector curie animarum; sic Abbas, & alij apud Barbof. in Rubric. hujus tituli, n. 31. in fine, ubi observat cum pluribus aliis, rubricam de Capellis Monachorum merito sic concipi; non verò de Capellis Vicariorum; nam hi non sunt Rectores earum.

2814. Collig. 2. Vicarias perpetuas esse propriè beneficia Ecclesiastica ex num. 2309. & qui eas obtinent, habere verum titulum per Clem. unic. h. t. nec removeri posse,

se, si & principalis moriatur; nec à Rectore principali; nec portione sua fraudari, quando instituti sunt ab Episcopo, per c. 2. eod. nec à Successore, si Antecessor consensit institutioni, per c. ad hæc, 3. eod. & qui disposita sunt à jure de Rectoribus, etiam esse observanda quoad Vicarios perpetuos Ecclesiarum, per dicta à n. 2309. Unde tales non possunt dici carere beneficio, ut dicitur c. 27. h. t. hinc dispositiones omnes, quæ de beneficio curato faciunt mentionem, circa vacationem per affectationem, & non promotionem, vel atatem, in Vicariis perpetuis procedunt; Rebuff. de Vicariis perpet. n. 14. &c. qui in praxi benefic. tit. de dispensat. circa atatem, & vel earum Vicaria perpetua, istas merito numerat inter beneficia incompatibilia, sic, ut unus duas ejusmodi Vicarias obtinere non valeat; ex c. Provicreas, 2. h. t.

2815. Ad nu. 97411. Cùm cit. loco dixerimus, regulariter non valere argumentum à casu in lege, dispositione expresso ad non expressum, quantumvis simplicem; notandum est, hoc intelligendum esse, nisi extet alia dispositio, quæ id specialiter concedat. Sic, ut dicemus lib. 3. decret. n. 1691. à causis jure expressis, propter quas Vasallus privari potest feudo, etiam ad alios, non expressos, similes, vel majores rectè procedit Judex, ut habetur tom. 2. feud. §. item qui tit. 24. ibi: sed quia natura novas deproperat edere formas, potest multis contingere, ut aliæ emergant causæ, quibus videatur justè adimi posse feudum; idcòque solers, & discretus, & equitati obsecundare sollicitus, cuncta subtiliter dispensans, provideat; si qua fuerit antiquioribus causis similis, seu major? ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum?

2816. Ad n. 2413. Cùm superius plura dixerimus de approbatione Confessarij necessaria (virtute Concil. Trid. de quo nu. 2414. & Clementinæ, superna Magni, de qua n. 2426.) ut Regulares licet, ac validè audiant confessiones personarum sæcularium; & in modo loquendi de approbatione non omnes æquè convenient; ex certis causis, in gratiam cujusdam Theologi, afferre hinc placuit doctrinam P. Georgij Gobat, viri in moralibus veratissimi, qui in Theol. Experiment. tract.

7. tradit seqq. primò in n. 34. ubi: ait approbare aliquem (approbatione sumpta pro testificatione Ordinarij de idoneitate Confessionis ad exercendum n. unus Confessarij) esse, declarare, illum esse dignum, cui à legitimo Superiore possint reipsà, & in actu secundo committi subditi, in quos exerceat potestatem clavium. Subjungit: at dare jurisdictionem, est, assignare ipsi reipsà subditos, in quos prædictam exerceat potestatem. Deinde n. 44. expressè dicit, approbationem (sumptam pro judicio idoneitatis) esse duplicem, expressam scilicet, & tacitam. Tacitam, ait, tunc dari, quando, habens potestatem approbandi, dicit cuiuspiam nondum approbato: audi hunc penitentem; audi, si velis, omnes volentes tibi confiteri; nam in primo casu approbatur respectu unius; in secundo, respectu omnium, adeòque absolutè. Tertio, postquam n. 49. dixisset, eum, qui non est reipsà approbatus tacitè, vel expressè, absolvere invalidè à mortalibus quemcunque sæcularem, extra articulum mortis, ita subjungit n. 50. Dixi: approbatus tacitè, vel expressè; alteruter enim approbationis modus sufficit ex omnium sententia; sic Gobat.

His addi potest, quod docet P. Jacobus Illung Theol. practica tr. 6. d. 6. q. 6. a. 2. §. 1. n. 2. qui n. 181. & 182. expressè distinguit potestatem judicandi causas fidelium, & eos à peccatis absolvendi acceptam, in receptione Presbyterij, à collatione jurisdictionis; qui ibid. n. 181. dicit, per subjectionem acquiri, jurisdictionem tam quoad personam penitentis, quam quoad peccatum; quam subjectionem, Gobat, ut numero præcedente & illo notavimus, vocat approbationem tacitam; & Illung, complementum potestatis in ordinatione acceptæ, quam, ait, non esse completam, antequam eorum jurisdictioni subiciantur; his prænot. permitto considerationi aliorum 1. an distinctio approbationis in expressam & tacitam benè reprobetur tanquam carens omni fundamento? prout quidam volebat; 2. an verum sit, à nullo Theologorum doceri, quòd alieui assignare subditos, in quos exerceat potestatem clavium, sit dare jurisdictionem? quam nos dicimus rectius appellari applicationem potestatis clavium, acceptæ in susceptione Presbyterij

3. an verum sit, quòd asserens, *sufficere approbationem tacitam* (ut exposita est *num. preced.*) eo ipso, *neget requiri iudicium*, seu *testimonium idoneitatis* ? requisitum à Trident. & Clement. *Superna Magni*. Ex hoc igitur sequitur, quòd assignare Presbytero subditos, in quos exerceat potestatem clavium, acceptam in susceptione Presbyterij, juxta doctrinam istorum Authorum 1. idem sit, ac dare *jurisdictionem*; 2. idem, ac *tacite illum approbare pro audiendis confessionibus*; 3. quòd ex omnium sententia sufficiat ille modus *tacite* approbandi Confessorem V. infra n. 2878.

2817. Ad n. 939. Not. cum recta interpretatio doctrinalis legum plurimum pendeat à conformitate interpretationis cum intentione Legislatoris, si ea deprehendi possit ex ipsa litera, vel scripta dispositione legis, eam interpretationem censeri rectam, & præferendam oppositæ. Quoniam autem frequenter per posteriores Principum constitutiones contingit, disponi aliquid circa id (quod ante, vel jure anteriori, vel privilegio concessum est) appositis clausulis derogatorijs, & derogatarum derogatorijs, quibus ostendunt, efficaciter se velle, ut deinceps id, vel eo modo fiat, aut intelligatur, quod, vel qualiter nova constitutio disponit: dubitari potest, an, & quo sensu hæc nova dispositio ex mente disponentis accipienda sit, præsertim quoad *vim clausularum*, quas illi apponit: Resp. dispositionem sub illis clausulis *derogatorijs* relatè ad jus, vel privilegium præexistens, ex mente constituentis non debere extendi, porrigi, vel prorogari, ad abrogandum jus, vel privilegium præexistens, *nisi in quantum opponitur, vel contrariatur dispositioni novæ*; hujus ratio est ex ipsa mente, ac intentione Legislatoris, quæ est, ut bonum, quod præfenti constitutione intendit, efficaciter obtineatur, quantum est ex vi talis dispositionis; ergo si quod jus antiquum, aut privilegium præexistens, in aliquo novæ dispositioni non contrarietur, & antiquitus concessum stat, stante tota dispositione nova, per hanc illi non derogatur, quoad tale punctum; sed quoad ea solum, quæ cum illa consistere non possunt.

2818. Ad n. 2008. Quæsitum fuit, an si Abbas, vel Præpositus Regularis resignet, &

resignatione acceptata procedatur ad electionem novi Abbatis, in hujusmodi electione vocem, seu suffragium activum habeat Prior, Abbas, vel Præpositus? Resp. si resignavit *absolute*, habere; nam omnes, qui sunt de Capitulo talis Ecclesiæ vacantis (si habeant cæteras conditiones in Electore requisitas) habent vocem activam: per hoc enim, quòd Prælatus Ecclesiæ (qui ante Prælaturam fuit membrum talis Capituli) resignet, non desinit esse membrum talis Capituli; ergo. Dixi, si resignavit *absolute*. Nam si in favorem tertij, sic, ut in Prælaturam assumatur talis, *alias non*; sine dispensatione Papæ non potest procedi ad electionem; quia conditio non impleta, *Prælatura taliter resignata non vacat*; at nulli de Prælatura *non vacante*, sine dispensatione Papæ provideri potest collatione, electione, vel alio modo providendi, ut constat ex dictis à *num. 2089*. nec talem resignationem admittens Ordinarius, quantum est de potestate ordinaria: ergo.

Ad *num. 2082*. Cum casus evenisset, quòd Monialis legitime professa, in loco A, ex certis, & justis causis transiverit de consensu legitimi Superioris ad Monasterium B. non in perpetuum, sed solum ad tempus aliquod, atque adeò *quin renuntiaverit juribus suis*, sibi competentibus ratione suæ professionis in Monasterio A; interim autem huic Monasterio providendum esset *per viam electionis* de nova Superiorissa; dubitatum fuit, an illa, dum est absens, & existens in Monasterio B. nihilominus haberet jus; & vocem aliquam in electione novæ Superiorissæ Monasterij A? Resp. affirmative, de jure communi, & seclusis particularibus statutis, aut constitutionibus Religionum, per Sedem Apostolicam approbatis; nam per ejusmodi transitum solum temporalem non renuntiavit juribus sibi competentibus in loco professionis; ut ponitur: ergo etiam stante hoc transitu retinet jus, quod prius habuit; sed prius habuit jus eligendi tam activum, quam passivum; ergo etiam stante tali transitu solum temporali.

Dices: ergo si quæ sic transferretur ex loco suæ professionis ad aliud Monasterium, non posset eligi valide in Superiorissam hujus Monasterij, in quo non est professa. Resp. cum dist. illati: & nego, illam non

non esse validè eligibilem, si in tali Monasterio vel est professa, vel legitimè translata *cum effectu*, nimirum cum renuntiatione iurium sibi competentium in priori Monasterio; concedo autem illatum, si neutrum sit, ut est manifestum ex claro textu *c. cum singula* 32. §. *Prohibemus de præbend. in 6.* a nobis relato *n. 2032.*

2820. Ad *n. 941.* Not. quando dicitur, quòd privilegia *personalia* non transeant ad *hæredes, etiam liberos*; dicto non esse locum in privilegio parentibus concessio *intuitu liberorum*; unde non procedit in privilegio uxoribus concessio ratione dotis, vi cuius habeant in bonis mariti tacitam hypothecam, & prælationem relatè ad alios Creditores etiam priores; nam hoc transit etiam ad hæredes earum, *ab ipsis descendentes*; ratio sumitur ex *L. 12. C. qui potiores. V. Exceptis*, ubi expressè dicit Imperator, quòd filijs anterioris matrimonij contra *novercas pro dote Matris suæ* in rebus paternis, jam providerit hypothecam; nullam autem aliam dedit, quàm istam, nimirum; ut gaudeant privilegio Matris in rebus paternis contra *novercas*, & alios Creditores; ergo; de quo plura tradimus *lib. 5. à n. 1862.*

2821. Ad *n. 1069.* observandum præterea in materia legum circa earundem observantiam in pluribus circumstantijs varias occurrere dubitationes, nunt hic, & nunc & in hoc casu particulari? vel in tanta universalitate, quam verba legis præferunt &c. leges obligent? quandoque enim leges adeò universaliter loquuntur, ut, si caderent in omnes casus, quantumvis in materia contingente, ac variabili, iniquum esset verba legis sequi; & tali casu lex deficit *contrariè ab universali*; hoc est, non porrigitur ad talem casum, quo præciperet iniquum; aliud est, si deficiat solum *negativè*, quando nimirum ita deficit, ut si servetur in ea universalitate, nihil mali sequitur: & in tali casu (ubi scilicet *contrariè deficit*) loctis est *epichia*, seu æquitati, quæ est *habitus, operans contra verba legis ex præsumpta voluntate Principis*; nullus enim legislator præsumi potest, præcipere, vel prohibere, quod non est iustum, prout *justitia* est conditio requisita, ut voluntas Superioris vim legis obtineat, de qua diximus *n. 84.*

2822. Dixi, *si lex ab universali deficiat con-*

trariè; nam si solum *negativè*, juxta P Franciscum Amicum *tom. 5. Theolog. Scholast. D. 11. sect. 12. n. 168.* non est locus *epichia*, seu correctioni legis per operationem contra verba legis; cum ex observantia legis in tali casu non sequatur iniquum, seu quòd minus dicatur iusta, juxta *n. 84.* Dixi 2. *si ab universali deficiat*, hoc est, si sit nimis ampla; nam si sit defectus *propter obscuritatem*, non dicitur *epichia*; sed *interpretatio*, de qua latè *n. tit. 2.* Dixi 3. ubi lex ab universali deficit solum *negativè*, esse locum *epichia*; in quantum supponit pro habitu inclinante ad operandum contra verba legis, secus dicendum videtur, si supponat pro habitu inclinante ad sequendam mitiorem partem in judicijs, & lex deficit solum propter obscuritatem; hic enim subintrat quæstio, qualiter Judici procedendum sit, quando leges, vel ambigua sunt, vel obscuræ? sed de his multa tum *in hoc lib.* dicta sunt, tum dicentur *in seqq.*

Ad *n. 84.* Cùm *cit. nu. 84.* diximus ad hoc, ut lex obtineat veram rationem *legis*; illam debere esse *justam*, hoc est, saltè *negativè conformem legi naturali, ac divinæ, necessariam bono communi, & moraliter possibilem*, unde nata videtur regula. *Nemo, 6. de reg. jur. in 6. nemo potest ad impossibile obligari*, prout etiam habetur *L. si quis in gravi. ff. ad Syllan. 2. si stipuler, ff. de verbor. obligat. §. impossibilis, instit.* pauca de hujus regulæ intellectu subjungenda videntur. Unde not. 1. *impossibile*, jure nostro dici omne illud, quod inspectâ humanâ potentiâ fieri nequit ab ullo mortalium, sive quia natura impedit, ne fiat *L. continuus 137 §. illud, ff. de verbor. oblig.* sive quia à jure prohibetur, id est, quia inspecto jure, naturali, Divino, vel humano (& hoc sensu *moraliter*) fieri non potest *L. filius in sine ff. de condit. instit. c. faciat, & ibi gloss. 22. q. 2.*

Not. 2. varias *impossibilium species* referri à *gloss. in cit. §. impossibilis*: omnes tamen congruè reduci possunt ad duas species; scilicet ad *impossibile defacto* (sub quo veniunt ea, quæ *impossibilia* nobis sunt per naturam vel perplexitatem) & ad *impossibile de jure*, quale est omne turpe, ac inhonestum.

Hinc, cùm in contractibus, aliisque dispositionibus adjiciuntur conditiones *difficiles*,

2823.

2824.

2825.

faciles, & dubitatur, num tanquam impossibiles rejiciendæ sint, nec ne: illud constituendum est, ut, *si ita sint difficiles*, ut considerata qualitate personæ, cui injunguntur, æquè pateat, manifestè non posse per eam aliquo modo præstari etiam ex amicorum auxilio, dispositio ab initio non valeat, juxta textum sic intelligendum, in *L. cum hæc res, §. ff. de statu libero*: sin autem difficultas talis est, quam persona cui injungitur, per amicos, per fidem, atque æstimationem suam possit adimplere, tunc valebit à principio depositio, & expectabitur futurus eventus, ut, si adimpleatur actus, valeat, si vero deficiat conditio, non valeat, juxta text. in *L. Archusa, ff. de stat. hom. & in L. Stichum, 39. §. si Stichus, ff. de stat. lib.*

2826.

Ex hac regula sic exposita sequitur, quòd, cum omnes contractus, & dispositiones (consequenter omnes obligationes) sint de aliquo dando, faciundo, vel omittendo, *L. 2. de verbor. oblig. & L. 3. ff. de actionib. & oblig.* quotiescunque dandum, faciendum, vel omittendum ex tali contractu, vel dispositione fuerit impossibile, vel defacto, vel de jure, nullam inde nasci obligationem. Nemo enim *presumitur actum impossibilem exigere, aut velle facere; & nemo presumitur eligere viam, per quam judicia sua subvertantur. L. 1. de milit. testam.* & in dubio capitur semper illa præsumptio, per quam actus potiùs valeat, quàm pereat, *L. quoties, de rebus dub. c. Abbate, de verbor. signif.* ut etiam verba impropriari debeant. V. D. Peck. 1. *de test. con. 44. n. 2. & 1. ad reg. 83. Alciat. reg. 3. presum. c. 34. seq.*

2827.

Potissimus hujus regulæ usus est, in casu, quo in contractibus, vel alijs dispositionibus adjicitur aliqua conditio, vel modus impossibilis *de facto*, vel *de jure*, præsertim in ea quæstione, *an, & quando talis conditio habeatur pro non adjecta?* seu, *an, & quando vitiet contractum, aut vitietur?* sed ad has quæstiones fusè respondimus *l. 4. tit. 5. de conditionib. appositis.* Hinc, not. 3. cum dicitur, obligationem, saltem naturalem, nasci ex voluntario contrahentium, vel disponentium consensu, intelligendum de consensu *vero*; qui non est in consentiente sub conditione impossibili, cognita ut tali; nam nemo prudens vult, quod scit impossibile *L. non solum, ff. de actionib.* si autem per errorem puta-

vit eam impossibilem, *loc. cit. in tit. 5. l. 4.* jam expositum est.

Deinde verum non est, ex communi consensu naturalem nasci obligationem: sed ita demum, si consensus ex firmo consilio, justaque, & rationabili causa proficiscatur. Naturalis siquidem obligatio fundatur in æquitate, & ratione. *l. 1. Stichum, §. naturalis, ff. de solut.* suadetque, etiam volentes ex turpi causa promittere, non obligari: quandoquidem natura utique dux optima est, & homo naturæ obediens, homini nocere non potest.

2829.

Not. 4. ex eo, quòd *L. veluti, ff. de V. O.* dicatur: *ex turpibus promissionibus, & impossibilibus conventionibus, Officium Prætoris intendi; & ex hujusmodi obligationibus actionem negari;* non rectè inferri: *nasci obligationem saltem naturalem.* Nam ex eo, quòd vocentur in eo textu *obligationes*, non sequitur esse *veram* obligationem, sed ad sumum *putativam.* Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium, vocatur *matrimonium; sed facti;* non *juris*, seu matrimonium non verum, sed irritum.

2830.

Eodem modo exponendum est, quando in *c. ad peccatum, 22. q. 4.* dicitur, quòd latro frangat fidem latroni socio, quando contra pacta conventa partem spoliorum non tribuit. Nam in hoc casu *fides* latè sumitur, pro conventionem facti, non *juris*; ea autem nullam etiam naturalem obligationem parit. Deinde aliud est de pacto dandi partem spoliorum, si juverit in latrocinio conditione adhuc pendente; aliud conditione impleta: in primo casu pactum de in futurum præstanda illa actione, est omnino nullius obligationis; in secundo autem, si post præstitam actionem turpem detur promissum, complures negant, accipientem teneri reddere; & danti actionem dari, solutum repetendi; nisi fortè faciendæ restitutionis causâ, vero Domino.

2831.

Ad n. 682. Huc etiam pertinet regula: *ignorantia facti, 13. in 6.* ubi dicitur: *ignorantia facti, non juris excusat;* nam non rarò contingit, aliquem existimare, quòd excusari possit à commissa in observantia legis per ignorantiam; eò quòd circa ignoratum non sit voluntarium, nec liberum, atque adeò nec peccatum formaliter imputabile ad culpam. Pro hujus

jus expositione not. 1. ignorantiam esse privationem cognitionis; errorem autem esse iudicium falsum de objecto, quo quis ignorare, vel circa illud errare dicitur. Hinc distinguunt ignorantiam in *privativam*, & *positivam*; per hanc intelligentes errorem; per illam cognitionis privationem. De utraque multa diximus l. 4. *decret. tit. 9.*

2832. Not. 2. ignorantiam consideratam, respectu rei ignoratæ, dividi in ignorantiam *facti*, & *juris*; per *factum* intelligitur auctus aliquis positus, aut ejus omisio; hinc cum quæritur, *an Titius occiderit?* an, *quod debebat facere, omiserit?* quæstio est *facti*; quando autem quæritur, *an hoc jure fecerit?* sive, an detur lex, actum, vel omissionem præcipiens, aut prohibens, est quæstio *juris*. Hinc ignorans primum, dicitur habere ignorantiam *facti*; ignorans alterum, dicitur habere ignorantiam *juris*. Not. 3. ignorantiam aliam esse *justam*, & *probabilem*, seu, ut Theologi dicunt, *invincibilem*; aliam *crassam*; seu *supinam*; aliam autem affectatam; de quibus plura Sanchez l. 2. *matr. D. 32. à n. 23.* & in *Decalog. tom. 1. l. 1. c. 16.* & 23. *justa*, & *probabilis* ignorantia illa est, quam nulla præcedit malitia, vel negligentia; ut, quia præmissa debita diligentia non potuit quis scientiam adipisci.

2833. *Crassa* verò, seu *supina* ignorantia (à Theologis *improbabilis*, vel *vincibilis* dicta) est nescire id, quod quis investigare, & scire potest, & tenetur, & debet, præsertim ratione officij; tunc enim *ignorans habetur pro sciente*. Affectata ignorantia est illa, quam habet is, qui, cum posset, & deberet, noluit scire, ut liberius peccaret, juxta illud Psalmi 35. *noluit intelligere, ut bene ageret, c. penult. 37. dist.* de qua ignorantia habetur in c. *eos*, de *temporibus ordin.* sic Andr. Gail lib. 2. *observat. 48. n. 18.* ubi aliis relatis, dicit ignorantiam *affectatam* esse, quando quis per simulationem aliquid ignorat, hoc est, quando scire potuit, sed noluit, quia dissimulavit. De his ignorantia specibus, videri etiam possunt à nobis tradita superius à n. 682. his positis:

2834. Quæstio est; an dicta regulæ sit locus in foro conscientia, quando ignorantia est *justa*, *probabilis*, & *inculpabilis*? Resp. negativè, ex dict. supra, nam stante hac ignorantia, non adest voluntarium circa

Tom. I.

opus, quod sit, vel omittitur, in quantum requiritur, ut resundat malitiam in actum vel ejus omissionem. Ad hoc enim non sufficit opus *in esse operis*; sed *inesse peccati*, seu *moraliter mali*, esse voluntarium, ut ibidem diximus. Dixi 1. *in foro conscientia*; nam in foro externo etiam *justa* in re ignorantia, nisi legitime probata, non excusat in *facto proprio*; præsumitur enim *crassa*, & *supina*, L. *quaqueam*, ff. ad *Vellejan. & c. Ab excommunicato, de Rescript.* ibi: *qui de facto suo certus esse debet*; sed hoc intellige extra illos casus, in quibus ex circumstantijs negotii, & personarum, etiam in factis proprijs admititur probabilis excusatio, veluti, quando factum est antiquum, in quo sit verosimilis oblivio; sic Maranta, *in repet. L. is potest*, ff. de *acquirend. hered. num. 227.* vel quando factum est obscurum, & intricatum, Gail *cit. observat. 48. nu. 1. & 19.* vel in eo, qui multis negotijs implicatus est; Marant. *cit. n. 227. limit. 5. & c.*

Dixi 2. *in facto proprio*. Nam ignorantia *facti alieni* in dubio præsumitur & excusat. L. *verius*, ff. de *probat. L. hoc autem*, ff. de *administ. Tut. L. fin.* ff. *pro socio*: sed hoc limita, ut non procedat, etiam in *facto alieno*, quando quis scire potuit, & debuit, ut, si factum sit *publicum*. Cum enim Episcopus Altissiodorensis in Archiepiscopum Senonensem postulatus, & Innocentius III. ad postulationi deferendum requisitus, consensum negaret, quod dictus Episcopus interdictum non observasset, & hic excusandum se allegasset *ignorantiam facti alieni*, quod scilicet à nullo sibi sententia interdicti intimata esset.

2836. Respondit Innocentius, hanc ignorantiam nec sufficere, nec proficere; rationem reddens: quia interdictum à Legato Sedis à latere, præsentibus multis *solemniter*, ac *publicè* promulgatum fuit; & multi in Regno Francorum illud publicè observare cœperunt: neque enim verò necesse est, inquit Pontifex, constitutionem *solemniter*, ac *publicè* promulgatam, singulorum etiam auribus per literas, aut mandatum speciale inculcari: sed cum primum quispiam *publicam*, & *solemnem promulgationem constitutionis*, aut sententia cognoverit, ad ejus observationem obligatus est, prout etiam constat ex c. *quod dicitis*, 14. d. 16. sed neque id valet ad

Pp pp

Epi-

Episcopum excusandum, quod Rex in Altiffiodorensi Diocesi propriam terram non habeat; cum Pontifex mandaverit, totam Regis terram subijci interdicto, idque mandatum interpretatus Legatus, in omnem terram, quæ eo tempore Regi adhærebat, interdictum promulgaverit, sed & inde constat dictum Episcopum excusari non posse, quia, cum ipse videret ab Ecclesia Metropolitana interdictum recipi, & servari, suam Ecclesiam conformare debeat.

2837. Idem habetur in c. *fin. qui matrimonium accusare*; ubi, cum rationabiliter presumatur, quod denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa diocesi minime ignoravit, tanquam suspectus est procul dubio repellendus, nisi proprio firmavit juramento, quod postea didicerit ea, quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat: quia tunc, etiamsi didicisset ab illis, qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi: quoniam, etsi ab impetitione hujusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat: id, quod etiam habetur in c. *cum illorum*, 32. de sent. excom.

2838. Quando autem ignorantia est juris, quantumvis justa in re sit, non excusat in foro externo, nisi legitime probata; quod imprimis procedit, si de ignorantia juris divini, naturalis, & gentium agatur ex c. *turbatur*, 1. q. 4. §. *notandum*, id, quod etiam procedit de ignorantia juris humani, etiam municipalis, seu statutarij, si aliàs notorium sit, & indubitatum. Gail. l. 2. observ. 110. n. 8. quia quisque tenetur scire, quæ sibi lege, vel juris dispositione incumbunt, quæ scire potuit, & debuit. Ita Doctores communiter rationem dantes, quia jus introduxit præsumptionem istam, quod omnes sciant leges, quia scire debent; & sic in odium ipsorum, ne eis succurratur, qui eas nesciunt, sequitur, quod præsumptio hæc nulli alij, sed ipsis solis nocere debeat: Alciat. reg. 3. præsumpt. c. 13.

2839. Sed hoc limitandum est 1. ut procedat, quando jus est dubium, obscurum, difficile, seu arduum 2. quando adjunctam habet justam ignorantiam facti, vel proprij juxta nu. 2834. vel alieni juxta nu.

2835. Tertio, quando constat de simplicitate, vel ruditate hominis, quæ quandoque inducitur ex circumstantia ætatis, sexus, status agrestis, militaris, &c. Et ideo etiam contingit, ut Advenæ, vel novi cives alicujus communitatis justè ignorent jus, & leges municipales, &c.

Questio est 2. an dictæ regulæ sit locus, quando ignorantia est vincibilis, & culpabilis? ante resolut. not. ut ignorantia dicatur *vincibilis*, simul & *culpabilis*, plura requiri, ut ostendimus superius à n. 679. nimirum ut aliquo modo sit voluntaria; quod homini fuerit possibilis opposita scientia: quod diligentia possibilis, & debita juxta rei exigentiam non fuerit adhibita. Unde malitia formalis, quam importat ignorantia culpabilis, consistit formaliter in negligentia comparandi scientiam ex præcepto debitam, cum haberi potuisset, & ibidem num. cit. diximus ex Vasquez; quid verò ignorantia culpabili superaddat, quando est *crassa*, vel *supina*, diximus ibidem num. cit. His præmissis:

Ad n. 1096. cum in materia gratiarum, quæ sunt à Principe, non ratio dubitetur, de vigore gratiæ; si concedens decedat prius, quam Commissarius, gratiam exequatur; vel an extincto concedente etiamnum duret? communiter usurpari solet regula, *debet, 16. in 6.* qua dicitur: *debet concessum à Principe beneficiū esse mansurum*; intellige, nisi Princeps aliud in sua concessione significet. Rationem reddit Gibalinus de *scientia Canonica lib. 8. ad dict. regul. 16.* quia Princeps sine dubio intendit perfectum, & firmum beneficium, & privilegium facere, ut ejus liberalitas, & gratia perfectior existat, non manca, aut diminuta. Quare ejusmodi Principis favores non expirant per obitum concedentis. Unde Covarruvias lib. *practicar. quest. c. 11. n. 2.* ait: licet causa concessionis, quæ initio fuerit impulsiva, desinat deinde, non cessat dispensatio; ex Sanchez lib. 8. de matr. D. 3. n. 7.

Hæc regula desumitur ex c. *si super gratia 9. de offic. delegati in 6.* ubi dicitur, quod Executor super gratia facta, datus à Papa, mortuo Papâ etiam re integrâ gratiam exequatur. Textus sic habet: *si super gratia cuiquam ab Apostolica Sede facta*

2840.

2841.

2842.

Et executores fuerint deputati: aequum esse censemus, ut, sicut ipsa gratia (licet nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic ut nec, etiam re integra perimatur executoribus data potestas, quam veluti gratiae praedictae accessoriam, naturam sequi congruit principalis; ne gratiam eandem vel reddi, quandoque omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio, cui facta extitit) differri contingat.

2843. Similiter habet c. *si cui* 36. de praebend. in 6. ibi: *si cui* (nulla personarum facta expressione) sit gratiosè concessa facultas, ut auctoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia (quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta) conferre, contradictores eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam comescendo: hujusmodi concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis: secus, si super provisione certa personae faciendae sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem; illa quidem expirat omnino, si concedens re integrà moriatur.

2844. Nec obstat, quòd c. *si super* loquatur indefinitè; hoc autem restrictè ad casum, quo beneficium concessum est, nulla personarum facta expressione. Nam ad utrumque conciliandum notandum est, ad quem rescriptum gratiae dirigatur? an ad eum, cui gratia fit, licet causa (nempe finalis) delegationem contineat alteri directam? an verò non ad eum, in cujus favorem gratia fit? quo posito: respondet Barbosa in cit. c. *si cui* n. 3. quando dicitur in c. *si super*, gratiam non expirare morte concedentis etiam re integra, intelligendum in primo sensu, quando gratia fit in genere, nimirum non expressà personam, cui fit; restrictionem autem, quam facit c. *si cui* procedere solum, quando gratia fit in specie, nimirum expressà certam personam, & tali casu expirare beneficium morte concedentis re adhuc integra.

2845. Dicit fortasse etiam posset, textum in c. *si super*; loqui de gratia facta; alterum verò in c. *si cui*, in quantum restringit, de gratia primum faciendae certae personae.

Tom. I.

Hinc etiam distinguunt aliqui potestatem dispensandi in eam, quae conceditur non expressis, ac illam, expressis personis, cum quibus est dispensandum; & illam dicunt latè, istam strictè interpretandam. Ita Sanchez l. 8. matr. D. 2. n. 6. Covarr. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 8. n. 6. rationem dat Sanchez, quòd in priori casu sit beneficium, ac privilegium activum illius, qui dispensaturus est, & in ejus gratiam confertur: quare, ut beneficium Principis, latè exponitur; at in posteriori est privilegium passivum ipsius, cum quo dispensandum est, utpote in ejus favorem concessum. Quare non est tam dispensandi facultas, quam quasi dispensatio in esse producta solam executionem exspectans. Ex quo videtur colligi, primum fundari in gratia jam facta; secundum, in gratia primum faciendae.

Ex his deducitur 1. sensum regulae esse, quòd quaecunque facta beneficia Principum, secundum honestatem debeant esse permanens, & stabilia, nisi contrarium exprimat, aut aliunde colligatur; cum intentio Principis feratur in beneficium perfectum, & firmum, secundum n. 2843. Dixi secundum honestatem, hoc enim denotat ly *decet*. Principem enim maximè decet constantia. Ex quo vides, si causa justa subsit, beneficium etiam à Principe concessum, posse tolli, nisi habeat rationem contractus, vel quasi, aut remunerationis.

Deducitur 2. concessionem gratiosas à Principe factas, per ejus obitum non expirare etiam re integrà, ex n. 2841. quod verum est, ut vult Barbosa cit. in dict. Reg. 16. n. 3. etiam si cesset causa concessionis, quae in principio erat; quod tamen limitat, si fuit causa impulsiva; sed de hoc vide à alibi. Deducitur 3. regulam intelligi de beneficio concessò, non autem per importunitatem exorto; hæc enim non decet esse mansura; quia non censetur Princeps verè consensisse; quod ita concessit. Plerumque enim (inquit Justinianus L. 1. C. de petit. honor. sublata) ita nonnullis causis in verècundam petentium inhibitione constringimur, ut, non concedenda tribuamus. Ideoque nullam habent firmitatem (c. cum in juventute §. ceterum de purgat. canonica) non magis, quam rescripta contra jus elicita, L. rescripta. C. de precib.

PP PP 2

precib.

precib. Imp. offic. & Divinam jussionem, hoc est, imperiale mandatum continentia. Auth. at qui semel C. de proba. conf. Gail. lib. 1. ob. 14. & 2. obs. 58. num. 2. & seq.

2848. Deducitur 4. etsi *beneficium* propriè, & in specie Principis tunc sit, quando de suo, vel secundùm, vel præter jus commune aliquid concedit, velati cùm vel feudum tribuit, vel domum aliquam propriam donat; *Privilegium* autem propriè sit contra jus commune, ut, cùm dicit Princeps, se aliquid concedere *tali lege non obstante*. Jason. *dict. L. fin. n. 15.* hanc distinctionem tamen in hac regula non esse observandam, cùm etiam privilegium nomine beneficij lata interpretatione comprehendatur. Deducitur 5. permanentiæ beneficij, prout requiritur vi datæ regulæ, non obstare, quòd quandoque amittatur, vel culpâ ejus, cui concessum est (v. g. non usû, etiam data occasione utendi) vel aliâ justâ causâ id exigente revocatur, ut V. potest *supr. in tit. de privileg.*

2849. Huc facit regula: *Indultum 17. in 6.* quæ sic habet: *indultum à jure beneficium non est alicui auferendum*; desumpta est ex *L. adulter C. ad legem Juliam. de adulter. & L. 1. ff. de Fenys.* Sensus regulæ est: quòd *nullus inferior possit alicui tollere, vel minuere gratiam, beneficium, vel privilegium ab alio concessum, nisi possit tollere, vel minuere jus ab ipso constitutum.* Nam, quæ à jure communi alicui specialiter collata sunt, ea justè per inferiores, invito altero, tolli non possunt; c. *cùm inferior de Majorit. & obed.* idque procedit in beneficijs, & privilegijs, non tantùm *realibus*, sed etiam *personalibus*; cùm & hæc perpetua esse possint, nimirum ad diem vitæ talis personæ; nec obstat hanc interire posse, nam & re pereunte perit privilegium reale, & tamen dicitur mansurum, seu perpetuum.

2850. Ex hoc sequitur 1. quòd quis periculum capitis non impunè avertere possit, nullo jure prohiberi posse; cùm jure naturali, contra injustum aggressorem, defensio necessaria indulta sit; nec, ut quis condemnatur, inauditus, & negata defensione jure concessâ: similiter legitima filiorum lege præscripta, à nullo Judice, vel homine tali jure inferiore, nec etiam dilationes à

jure concessâ tolli, aut minui possunt; sic Felinus in c. *cùm sit Romana de appellat. n. 7.* & alij. cum gloss. *magn. in L. quod jussit. ff. de rejudicat.*

Sequitur 2. quòd dicitur in regula, *beneficium à jure concessum non esse alicui auferendum*, solùm procedere de his, qui tale jus, vel legem non possunt tollere. Unde licet legitima filiorum jure præscripta ab homine tolli, vel minui non possit, ut per totum *tit. de inoffic. testam.* consuetudine tamen, lege, vel Principis autoritate rectè minuitur. Ita Dynus hic cum communi, ut per Cov. *de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. n. 4.* Sequitur 3. quòd provisio hominis tollat provisionem juris in beneficijs, quando hæc introducta est solùm in defectum hominis. Et ideò regula non procedit in beneficijs, quæ à jure conceduntur in defectum hominis, si provideat homo. Tunc enim deficit conditio, ut locus sit provisioni juris; ita communis.

Quæstio etiam fieri potest, an quæ in principio invalidè acta sunt (v. g. propter defectum alicujus, jure ad valorem actus requisiti) convalescant, sublato tali defectu? videtur, quòd non ex regula. *Non firmatur 18. de Reg. juris in 6.* qua dicitur, *non firmari tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; sensus est (ut vult Gibalinus hic) quòd effectus nullitatis alicujus actus jam producti nunquam valeat, etiam sublata nullitatis causâ, licet superveniant ea omnia, quæ deerant ad valorem. Rationem dat Peckius hic *n. 1.* quòd sicut factum legitime retractari non potest, licet casus postea eveniat, à quo non potuit incipere; sic vice versâ non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ut sic patet, & eadem ratio sit, & disciplina contrariorum.

Hæc tamen regula non ita indefinitè accipienda est; nam plura, quæ, dum ponebantur, non fiebant validè, evadunt deinceps valida non nudo lapsu temporis (tempus enim non est modus inducendi, vel tollendi obligationem. *L. obligationum & placet. ff. de actionibus. & obligat.*) sed accessione saltem tacita illorum, quorum defectu non valebant ab initio, quòd tamen intelligendum est non de actu intrinsecè invalido; sed solùm extrinsecè, nimirum ex defectu vel absentia aliorum, quæ

quæ sunt de intrinseco constitutivo actus in esse validi.

2854. Sensus igitur illius regulæ videtur esse, quod, quæ de jure ab initio non subsistunt, nec firmentur tractu temporis, sic ut valeant *ex tunc*, quantumvis postea ponantur ea, quorum defectu actus in principio de jure nullus erat; non autem, quod non valeant *ex tunc*, si sequatur alius actus existentibus omnibus ad valorem requisitis; sic Barbosa *in dict. regul. 18. n. 3.* volens sic procedere *L. 1. §. 1. ff. de Legat. 3.* ubi, postquam dictum est, *si filius familias, vel servus fidei commissum reliquerit; non valere*, subjungitur: *si tamen manumissæ decessisse proponantur, constanter dicemus, fideicommissum relictum videri, quasi nunc datum, cum mors ei contingit, videlicet si duraverit voluntas post manumissionem.*

2855. Ex hoc sequitur, si ex postfacto, saltem tacite superveniant ea omnia, ex quibus constituitur actus ille, de quo agitur non habito respectu ad id, quod præcessit nulliter, actum novum incipere esse *nunc* validum; & probabiliter etiam, si prior actus pro tunc solum extrinsece invalidus, ex se autem aptus, validari reliquorum accessione, usque ad hoc tempus durat.

2856. Cæterum, si accessio eorum, quorum defectu actus in principio nullus erat de jure, per fictionem juris retrahatur in aliquo casu ad tempus actus in principio gesti nulliter, non quidem tractu temporis, sed juris dispositione, ac confirmatione subsequuta, saltem quoad certos juris effectus, validus erit, prout contingit quoad legitimitatem proles ex matrimonio jure nullo, si subsequatur dispensatio in radice matrimonij.

2857. His, quæ diximus superius, addi potest elucidatio illius quæstionis, an quis circa idem objectum habere possit duplex iudicium, quorum uno probabiliter iudicet, illud existere, altero, non existere. Nam ad hoc exponendum not. 1. dupliciter fieri posse, quod quis iudicet dari existentiam legis præceptivæ, vel prohibitivæ alicujus operis. 1. ferendo iudicium absolutum de veritate rei in se. 2. de veritate rei in apparentia motivorum suadentium, vel dissuadentium existentiam talis legis. Certum enim est, in quæstione de existentia alicujus rei v. g. revelationis di-

vinæ de Incarnatione Verbi, aliud esse iudicium de veritate revelationis *in se*; aliud *de apparentia motivorum* suadentium prudentem ejus credibilitatem. Hinc *aliquid esse revelatum* verum esse potest veritate solum extrinseca, & in apparentia, quam habet *in alio*; esto falsum sit spectata veritate rei *in se*.

Ex hoc vides: iudicium, quo quis absolute verum iudicat, *non existere præceptum*, non esse in eodem intellectu simul compossibile cum iudicio, quo quis absolute verum iudicet *existere præceptum*. Nam sic simul in eodem intellectu, circa idem objectum, eodem modo sumptum, essent duo iudicia absoluta metaphysicè contraria, nimirum assensus, & dissentus; & intellectus simul iudicaret absolute, *idem esse, & non esse*, quod est evidenter falsum. Si dicas *probabiliter iudicare* iudicio absolute, *existere præceptum in se, & probabiliter iudicare* iudicio absolute, *non existere præceptum in se*, non sunt iudicia metaphysicè contraria; ergo hæc duo iudicia simul esse possunt circa idem eodem modo sumptum in eodem intellectu.

Resp. advertendum, valde inter se differere, *probabiliter iudicare*, iudicio absolute, *existere præceptum in se, & iudicare* iudicio absolute, *probabiliter existere præceptum in se*; nam in primo casu *ly probabiliter* appellat supra iudicium existens in iudicante, quin probabilitas, quam iudicium subjective habet, sit objectum illius iudicij; in secundo autem casu probabilitas habet se objective; cum sit objectum iudicij dicentis, *existentiam legis habere probabilitatem*.

Ratio est: quia cum *ly probabiliter* appellat solum iudicium *subjective* existens in iudicante *probabiliter, dari*; & iudicante *probabiliter non dari legem*, utriusque idem est objectum affirmatum, & negatum, nimirum *veritas rei in se*: quando autem unum iudicium probabiliter *subjective* iudicat, *dari legem*, & alterum iudicat *solum objective, seu probabiliter non dari legem*, *ly probabiliter* appellante ipsam apparentiam veritatis objective in alio, non habent idem objectum; primum enim est *de veritate rei in se*; secundum de veritate rei *in alio*, nimirum in apparentia motivorum. Aliud ergo

ergo est, probabili iudicio negare, vel affirmare, quod à parte rei existat lex; aliud absolutò iudiciò negare, vel affirmare, quod detur probabilitas de existentia legis.

2861. Ex hoc habetur solutio argumenti in n. 2858. Nam. dist. ant. probabiliter iudicare iudiciò absolutò, *quòd existat lex*, & probabiliter iudicare iudiciò absolutò, *quòd non existat lex*, non sunt iudicia metaphysicè contraria, si ly *probabiliter* se habeat in utroque *subjectivè*, & tantùm appellet modum iudicij. N. ant. si in uno se habeat *subjectivè*, & in altero solùm *objectivè* vel in utroque solùm *objectivè*, seu appellet tantùm objecti probabilitatem, seu veri apparentiam C. ant. N. conseq. Nam qui iudicat existentiam legis *in motivis apud alios habere apparentiam veri*, & *apud alios non existentiam legis*, non componit iudicia de se contraria in suo intellectu, sicut id citra ullam contrarietatem contingit, quando affirmo, Petrum affirmare, & Paulum negare, cursum Turcæ.

2862. Hinc bene possum iudicare, utramquè opinionem sibi mutuo contradicentium, apud suos auctores habere probabilitatem, & hoc sensu, cuique suam opinionem esse probabilem; quia respectu mei iudicij probabilitas illarum opinionum habet se mere *objectivè*; at si una earum mihi est *subjectivè* probabilis, hoc est, si ego iudicem iudicio *subjectivè* probabili, & absoluto pro una parte v.g. *non existere legem à parte rei*, pro sensu composito, ac retento hoc iudicio, nequit altera earum (nempe opposita, quæ dicit *existere legem*) mihi esse probabilis *subjectivè*, seu nequeo ego simul iudicare iudicio probabili *subjectivè*, & absoluto, existere legem. Nam absolutè negans existentiam legis iudicio, vel opinativo, vel certo pro sensu composito cedenti talis iudicij absolutè affirmare nequit existentiam legis iudicio opinativo, vel certo ex dictis.

2863. Ne autem confusio enascatur ex non observata terminorum appellatione, cum dicitur: *Titius probabiliter iudicat legem non existere*, & *iudicat probabiliter legem existere*, bene observandum est discrimen inter actus, quorum unus probabiliter, & absolutè non modaliter negat existentiam legis, & alter probabiliter affirmat, probabiliter legem existere, seu da-

ri probabilitatem de legis existentia; hæc enim iudicia, ut jam diximus, bene simul comparantur in eodem intellectu, cum versentur circa diversa objecta. Primum enim absolutè negat, iudicio *subjectivè* probabili existentiam legis; secundum autem non affirmat absolutè iudicio *subjectivè* probabili existentiam legis; sed tantùm probabilitatem ejus, seu quòd ejus existentia habeat verisimilitudinem seu apparentiam veri. Primum dicit: *existere legem, non est verum in se*; secundum autem: *existere legem est verum verisimiliter*, seu in alio) utrumque tamen eum incertitudine *subjectiva*; cum neutrum ponatur certum formaliter iudicanti.

Dices: qui iudicio *subjectivè* probabili, & absoluto, negat existere legem, eo ipso, vel directè, vel indirectè negat veritatem iudicio contradictorio, affirmanti *existere legem*, consequenter iudicat esse falsum iudicium, affirmans *existere legem*, sed si iudicat esse falsum iudicium affirmans *existere legem*, nequit simul iudicare iudicio *subjectivè* probabili, & absoluto, iudicium affirmans legem existere esse verum verosimiliter, & in apparentia; ergo.

Resp. datâ majore N. min. quia iudicare, quòd sit falsum *in se*, legem existere; & simul esse verum *in apparentia*, legem existere, non sunt iudicia opposita; cum sint circa diversa. Primum enim negat existentiam legis veritatem *in se*, & à parte rei; secundum, affirmat veritatem *in alio*, nimirum in apparentia motivorum. Sic eidem *falsum in re* potest esse evidenter credibile; ergo etiam falsum *in re* potest eidem esse verum *apparenter*. Quando objectum est à parte rei, sicut enuntiatur, dicitur *verum intrinsecè*, ac *in se*; quando autem *in alio principio*, vel *motivo*, dicitur *verum extrinsecè*, & *apparenter*; at negare, quòd objectum sit *verum intrinsecè*, & *in se*; ac affirmare, quòd sit *verum extrinsecè*, & *apparenter*, non sunt affirmatio, & negatio ejusdem secundum idem; ergo non sunt opposita; ergo fieri potest, quòd quis neget objectum esse verum *in se*; & simul affirmet, quòd sit verum *in alio*.

Et ideo, quando mihi *subjectivè* probabilis est opinio, seu quando ego probabiliter iudico *non existere legem in se*, non eo ipso nego existentiam legis veritatem *in alio*,

alio, seu veri apparentiam. Nam pro falso dari potest tanta, vel etiam major apparentia veri, quam pro vero, ut notavit ipse Aristoteles, ibi: *Falsa saepe sunt probabiliora veris.* Et ratio est, quia iudicium negativum categoricè, ac absolute negans dari cursum Petri, non contradicit iudicio modaliter affirmanti, dari cursum Petri; ergo qui iudicio subjectivè, seu sibi probabili, categoricè, ac absolute negat, dari legem prohibitivam talis operis, non contradicit iudicio modaliter affirmanti, dari legem prohibitivam talis operis, nam qui negat solum dictum propositionis, non negat eo ipso modum dicti: modalis enim negatur negato modo.

dem intellectu simul tempore, cum sit lumine naturæ notum non posse idem esse, & non esse, categoricè, ac absolute.

Colliges 4. eidem intellectui posse esse subjectivè probabile, legem existere, & objectivè probabile, legem non existere, vel è contra; quia mihi subjectivè esse probabile, legem existere, est me iudicio prudenti, categoricè, ac absolute iudicare legem existere; & simul tempore mihi esse objectivè probabile, legem non existere, est me iudicio prudenti modaliter iudicare legem non existere, seu, quod idem est, dari rationabilem apparentiam veri quod lex non existat; at hæc duo iudicia simul stare possunt in eodem intellectu per dicta.

2870.

2867. Hinc colliges 1. utramque partem contradictionis posse esse probabilem subjectivè diversis intellectibus. Nam in multis quæstionibus gravissimi Doctores saepe disident, uno affirmante, altero negante, neutro eorum destituto gravi fundamento etiam rebus hinc inde examinatis ad taliter sentiendum; hoc autem est unam partem contradictionis probabiliter affirmari ab uno, & probabiliter negari ab altero; atque adeo utramque contradictionis partem diversis esse subjectivè probabilem, nimirum ex diversis principiis; ergo.

2868. Colliges 2. utramque partem contradictionis eidem intellectui simul tempore posse esse probabilem objectivè. Per hoc enim aliud non volumus, quam quod idem de duabus opinionibus aliorum, oppositis contradictoriè ferat iudicium, quo affirmet, utramque, spectatis principiis, & motivis, prudentes iudicare; & assensum præbere, quemlibet pro sua parte, at hoc fieri potest ex n. priori: ergo utraque pars contradictionis eidem intellectui potest esse probabilis objectivè.

2869. Colliges 3. utramque partem contradictionis eidem intellectui simul tempore non posse esse probabilem subjectivè. Nam unam partem contradictionis v. g. existere legem mihi esse probabilem subjectivè, est me iudicio incerto, sed prudenti, categoricè, ac absolute iudicare, legem existere; ergo utramque partem contradictionis eidem intellectui esse probabilem subjectivè, est illum simul tempore iudicio incerto, sed prudenti categoricè, & absolute iudicare existere, & non existere legem; hoc autem fieri non potest prudenter ab eo-

Unde quando dicitur, quod utraque pars contradictionis possit simul esse probabilis eidem etiam intellectui propositionem posse dupliciter intelligi 1. quod eidem intellectui utraque pars possit esse probabilis subjectivè. 2. una pars probabilis subjectivè, altera solum objectivè; in primo sensu propositionem negandam esse ex n. 2869. in secundo concedendam ex n. 2870.

2871.

Ex hoc sequitur 1. quando quis iudicio subjectivè probabili iudicat, legem non existere; illum pro sensu composito, & retento illo iudicio, non posse iudicio etiam probabiliori subjectivè affirmare legem existere, sic enim iudicio absoluto & categoricè (licet solum opinativo) affirmaret existere, & non existere legem, ut diximus n. 2869.

2872.

Sequitur 2. quando quis iudicio subjectivè probabiliori, categoricè ac absolute iudicat, vel negat legem existere, illum non posse simul tempore iudicio subjectivè probabili, categoricè, & absolute iudicare, seu affirmare, legem existere. Ratio est ex n. 2869. licet utrumque possit iudicio modali, seu probabili solum objectivè ex n. 2870.

2873.

Ad n. 108. ad eandem quæstionem (an in dubio sit melior conditio possidentis) consequenter (an in dubio legum de aliquo, lex tunc obliget dubitantem? Sanchez l. 1. Decalogi D. c. 10. n. 32. respondet: multò verius esse, præceptum, & legem tunc temporis non obligare, sive sint naturalia, sive Divina positiva, sive hu-

2874.

mana;

mana; quòd in hoc dubio sit tota possessio pro voluntatis libertate: præterea, quia nemo obligatur lege, nisi illi sit sufficienter proposita; at, quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius, an sit lex, & præceptum? non sunt illi sufficienter proposita: ergo, etsi in genere, aut speculative maneat dubius, an sit lex, & præceptum, est in particulari, seu practice certus, se non obligari tali lege; sic etiam docent Suarez *tom. 5. in 3. p. D. 40. sect. 5. n. 15.* Henriquez *l. 8. de Eucharist. c. 45. n. 3. in com. lit. P. Em. Sa, Summa, V. dubium, n. 2.* atque eodem modo dicendum esse, nec legem, nec præceptum obligare, quoties de illis constat, & dubium est, an hæc res comprehendatur sub illis; ut tradit Sanchez *nu. 33.* quia tunc perinde prorsus est, ac dubitare, an lex, & præceptum sint imposita de ea re; ita etiam Salas de utroque casu *1. 2. q. 21. tr. 8. D. unic. sect. 25. n. 258.* imo Salas *n. 259.* censet, idem dicendum esse, dum constat de lege, aut præcepto, sed dubium est, an in eo casu ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis aliquis ab illius obligatione eximatur? sed in hoc ultimo contrariū sentit Sanchez *cit. n. 33.*

2875. Hanc sententiam limitat P. Jan. Bapt. Gormaz *de Pœnit. p. 2. D. 2. sect. 3. q. 2. à n. 164.* ubi proposita quæstione, an negative dubitans, *num peccaverit graviter?* contineatur sub lege Tridentini de confessione peccatorum gravium, *quorum quis conscientiam habet?* atque adèd, num peccatum dubium sit tale, ut dubitans dici possit *habere conscientiam* peccati dubii, qua dubii? secutus affirmativam (ut constat ex §. 1. n. 157.) ad hoc argumentum (quandocumque est dubium circa actionem, ex qua primò lex nascitur, sive primò incurritur legis obligatio, standum est pro libertate, & negandum, quem teneri lege; sed commissio peccati mortalis est actio, ex qua primò nascitur lex confessionis, seu primò ejus obligatio incurritur: ergo, qui de eo dubitat, non tenetur lege) respondet *n. 165.* maj. esse veram, quando præceptum, seu lex se non extendit ad casum etiam dubium.

2876. Existimat autem, legem Tridentini præcipientis confessionem peccatorum, *quorum quis conscientiam habet,* extendere se etiam ad peccatum dubium, atque

adèd quoad hoc doctrinæ illi, quam *num. 2874.* retulimus ex Sanchez, & aliis *ibid. cit.* in qua fundatur argumentum sibi obiectum, non esse locum. Min. prob. quia *conscientia* habetur non tantum de peccato certo, sed etiam dubio; probat verò exinde, quia non solum potest homo habere scientiam de eo, quod peccavit, sed etiam de eo, quod dubitat, an peccaverit; etenim non est minus certus, quod scit id, quod scit, quam quod dubitat de eo, de quo dubitat; atqui utraque certitudo sufficiens est ad scientiam, & conscientiam, juxta Tridentinum: ergo.

2877. Sed hæc instantia non rectè videtur limitare doctrinam *num. 2874.* relata; tametsi enim verum sit, legem extendere se etiam ad casum dubium, quando expressè statuitur non tantum pro casu certo, sed etiam pro casu dubio; sicut lex punitiva delicti penam gravi extenditur etiam ad delictum solum attentatum, si expressè statuitur non tantum pro delicto consummato, sed etiam solum attentato; tunc tamen est, quando id non exprimitur: jam verò lex præcipiens confessionem mortaliū, quarum *quis conscientiam habet,* nullatenus exprimit, quòd debeamus confiteri peccata, quando certi sumus, nos dubitare, an peccaverimus? sic enim non habemus conscientiam, seu scientiam peccati, sed tantum dubii, ut pluribus exposui in *Tract. Theol. de pœnit.* ergo per hanc instantiam desumptam à præcepto confitendi peccata, *quorum conscientiam habemus,* non rectè limitatur doctrina, quæ tradit, legem non obligare, quando dubium est, an detur id, quo non posito non est lex.

2878. Ad ea, quæ diximus *n. 2816.* etiam pertinet, quod non ita pridem inter Titium, & Cajum agebatur super quæstione, *an probabilitate careat?* quòd in Confessario per examen, vel aliàs approbato *absolutè,* ac *simpliciter,* *mutatà diœcesi non cesset approbatio?* Titio affirmante, Cajus opinionem ejus penitus, reprobavit, inter alia etiam ex eo, quòd nullum legerit, qui eam tali casu *non cessare* affirmaret; sed Titius, qui probè judicare potuit, eum non omnes legisse, remisit ad Castropalaum, qui *p. 4. de Sacram. Pœnit. tract. 23. D. unic. p. 17. §. 4. n. 4.* (postquam *n. 3.* amplexus esset sententiam, tanquam communio-

rem

rem inter Doctores, quæ affirmat, *eam cessare*) subjungit: *verum, esto ita sit, probabilitate non caret, approbatum ab uno Episcopo, mutatione domicilij, approbationem non perdere*; sic docuit Cordub. q. 10. ad 2. Henriquez de pœnit. l. 3. c. 6. n. 7. Coninch. D. 8. d. 7. n. 53. Man. Rodriq. in exposit. Bullæ, ç. 9. d. 2. Barbof. alleg. 25. n. 16. quia approbatio est quoddam judicium authenticum de idoneitate personæ, quod semel factum perseverat, dum retractatum non est. Neque à subjectione actuali Episcopi, à quo receptum est, pendere videtur: sicuti non pendet gradus Doctoris, & Magistri in Universitatibus recepti à subjectione eorum, à quibus recepti sunt. Neque contrarium declaravit Sacra Cardinalium Congregatio, dum dixit: in Diœcesi Valentina non

cenferi approbatum, qui ab alio, quàm ab Episcopo Valentino approbatus est; quia intelligi debet de approbatione jurisdictionem concedente, hæc enim ab alio in Diœcesim Valentiam, quàm ab Episcopo Valentino concedi non potest. Deinde non obstat privilegium Religiosis Societatis concessum à Gregorio XIII. tum, quia sæpe privilegia conceduntur, non quia absoluto necessaria sint; sed ad majorem securitatem, ne ex contrarijs opinionibus scrupulus oriatur; sic in terminis citatus Author; nec puto, rectius contra Cajum à Titulo responderi debuisse, quàm ad hominem. Cui materiæ hic nihil amplius addendum, cum apud Theologos morales similia fusè pertractentur; unde hæc ad DEI Gloriam in Librum 1. Decretalium conscripta sufficiant.

O. A. M. D. G.

